

ANIMADVERSSIONES

IN FEBRES ESSENTIALES

CURANDI METHODUM

QUIBUS ACCEDIT

S C H E D I A S M A

DE JUSTO VESICANTIVM USU

A. & M. D.

NATALIS LETTIERI.



N E A P O L I T
Ex TYPOGRAPHIA RAYMUNDIANA
MDCCLXXXII.
Superiorum Permissu:

q61

11/18/11
2012

**EXCELLENTISSIMO MARCHIONI
D. ANGELO CAVALCANTI**

**REGIÆ CAMERÆ SUMMARIA
LOCUM TENENTI**

**REGII NOSOCOMII INCURABILIJM
MODERATORI SUPREMO &c.**

Natalis Lettieri S. P.



Um multis officiorum no-
minibus TIBI Excellentiss.
Marchio obstrictus viverem ; nemo
profecto crediderit , me illud consi-
lli capere potuisse , ut non sine
ambitione , atque ad capessendam
gratiam TIBI potissimum hanc qua-
a a lem.

lēa cōm̄que lucubrationem cōfēcra-
rēm . Non modo enim tot inter
competitores ad Cathedram Physi-
cā ac Geometrī in Xenodochio
Incurabiliū, atque ex ea ad alte-
ram Antepraxeos & Physiologiæ ,
data opportunitate cōfēcēdere mi-
hi concessisti: sed, quod maximum
reputo, in numero eorum, qui Me-
dicam Disciplinam inibi exēcent
conscribi, ut quas meditabar Ani-
madversiones facilius confirmare pos-
sem, benigniter annuisti . In mo-
re est positum eos, qui Patronum
naēti sunt , eximiis eum laudibus
extollere: verum Gentem tuam ve-
tusta nobilitate clarissimam , atque
T E, qui tot ac tam magna Inno-
centiæ, Fidei, Prudentiæque in Su-
premo Magistratu , cui Inclytus
REX Noster divino pene consilio
te præesse voluit, documenta dedi-
sti , ut in publicis negotiis admi-
nistrandis nulla publicæ rei traēta-
tio

tio inciderit, quam tua non expedi-
diverit sollertia, laudibus concele-
brare, novum non prosequerer o-
pus, cum jam omnium sermone
percrebuit; atque onus meis hume-
ris impar ferendum assumerem; qua-
de re manum de tabula suspendere
rectius existimavi. Quum vero ac-
ceptis paria unquam referre me pos-
se nonnisi insanus sperarem; eo ta-
men adnitendum credidi ut aliquan-
do perpetuam benevolentiae erga
me tuæ memoriam, summæque er-
ga te reverentiae atque observantiae
monumentum palam exigerem: cer-
tum enim est qualicumque potius,
quam nullo grati animi argumen-
to testificari. At ita me a refe-
renda gratia expedio, ut novo be-
neficii vinculo adstringar, si opu-
sculum hoc tuo inscriptum nomine
in lucem emititur; non solum e-
nim id consequor, ut auctoritate
tua & sapientia vel probetur, vel

a 3 cer-

certe ab omni obtrectationis periculo
defendatur: sed & ornamentum non
vulgare a nominis tui splendore han-
ciscetur. Non est fateor libellus
meus rerum sublimium copia refer-
tus, non antiqua eruditione exor-
natus, admoneo potius Tirones,
Medicosque quosdam vulgares, non
doceo: atque doctissimorum Viro-
rum, qui suis tentaminibus viam
nobis sternere conati sunt, præce-
pta clarius & accuratius, atque
collectim expono. Hunc libellum
Tibi do, atque dedico; minimeque
vereor quin æquissimo sis animo
accepturus: scis enim probe sum-
mis Viris & quum gentilitia vir-
tute ac nobilitate, tum potissimum
sua claris, atque supra mortaliū
sortem constitutis, non tam mune-
ra quam offerentium animum pon-
derari. Vale Excellentiss. Vir, &
Reipublicæ bono nate iterum Vale.

*Debam Neopoli IV. Kal. Martias.
Anno Æra Vulgaris MDCCCLXXXII.*

LECTOR BENEVOLE.

Si quod morbi genus est maxime frequens ac perniciosum a quo ferre nullus homo integro vita sua curriculo immunis , & quo fertile omnes diem obeunt extreum , sine controversia Febris est : at nunquam omniæ medicæ rei scriptores adeo inter se discrepantes , quam in Febris natura ejusque causa proxima definienda : ex quo factum est ut vaga semper , atque incerta Febrium medendi methodus existiterit . Galenici cum ab humorum corporis putredine Febrim accendi ; atque ab humido putredinem produci atque forvari crediderint ; aquæ potum febrienterbus ægris omnino interdixerunt . Jacobus Sylvius Calorem non esse Febris causam , sed effectum & symptoma ; pulsumque celerem non celerioris , sed tardioris sanguinis motus indicium esse censuit ; Febrinumque omnium essentiam in coagulatione ac visciditate sanguinis con-

consistere opinatus est ; phlebotomia propterea & temperantibus remediis proscriptis, spirituosa, atque volatilia pharmaca commendavit . Helmontius , & Campanella Febrim non esse morbum, sed morbi medicamen , a natura adhibitum ut peccantem materiam humoribus circumfusam eliminaret , assere non dubitarunt ; eaque propter verum curationis scopum esse ignem febrilem per calefacientia , & naturam roborantia augere , docuerunt . Henricus oblivione jam ~~sepultam~~ Dioclis sententiam excitans Febres omnes a viscerum inflammatione deduxit : cumque inflamatio præpeditum sanguinis circuitum denotet ; damnatis idcirco phlebotomia purgatione , ceterisque remediis, ad medicamenta dissolventia spirituosa , alcalia volatilia confugiendum inculcavit . Cartesiani suis innixi principiis in naturæ statu materiam subtilem veloci cursu massam sanguinis continenter permeare , & recto tramite poros ejus percurrere opinati sunt : eaque ratione in humoribus fermentationes produci atque
fo-

soveri. At si contigerit poros illos cras-
fiori materia oppleri ; illius materiæ ve-
lox & continuatus transitus intercipitur ;
qua de re ingentes illa excitat motus ,
quos Febrim appellant ; ad quam curan-
dam ea necessaria judicarunt quæ cras-
sam materiam poros obstruentem sol-
vere , ac per sudores , aliasque vias e-
liminare valerent , ut materia subtilis
liberum iter naæta , non impetuose , sed
leniter & secundum naturæ leges per
humorum substantiam permeare possit .
Quidam Chemicis experimentis innixi
febrilem materiam nil aliud esse , quam
salem acidum coagulantem & nerveas
membranas lancingantem sibi persuasere :
alii contra salem alcalinum urinosum
in sanguinea massa cumulatum propter
alicujus sensibilis , vel insensibilis eva-
cuationis suppressionem accusarunt . Non-
nulli particulas quasdam venenatas , ex
quibus expansiva spirituum animalium
facultas obruitur , finixerunt . Alii Fe-
bris naturam in spasmo generis nervosi
& vasculosi sitam esse contendebunt .
Septicas hoc est putridas particulas Fe-
brium

brium causam proximam alii crediderunt. In Virium quoque Vitalium & muscularium improportione Febris naturam alii collocarunt . Nimis essem si cunctas hactenus excogitatas medicorum opinio-nes in medium afferre vellem .. Depo-nenda propterea exclamabat Baglivus opinionum commenta , & cum natura cohabitandum, ut omnibus rite perpen-sis , vera Februm causa proxima , at-que natura detegatur , quæ omnibus Febribus, earumque symptomatibus per-fecte posse quadrare . Id totis animi vi-ribus assequi conati sumus . Sed ea in re exponenda sinceritatis ac diligentia plurimum , licet elegantia parum , quip-pe medicum non Rhetorem ago

*Non nobis licet esse tam disertis
Qui musas colimus severiores*

Martialis

An veritatem attigerim , tuum est ju-dicare . Rogo tantum Te, Lector benevo-le , ne judicium tuum proferas , quin prius experientiam , Naturamque consu-jueris

V A L E

IN-

INDEX CAPITUM.


	Pag <i>i</i> .
INTRODUCTIO.	
CAP.I. <i>Quid Febris essentialis nomine veniat designatur.</i>	2
CAP.II. <i>De Causa proxima Febrium Essentialium.</i>	6
CAP.III. <i>De Evidentibus Febrium Essentialium Caufis.</i>	41
CAP.IV. <i>De Febrium Essentialium Symptomatibus.</i>	57
CAP.V. <i>An expeditat Febres Essentiales in ipso exortu extinguere.</i>	58
CAP.VI. <i>De Recto Peruviani Corticis usu in curatione Febrium Essentialium.</i>	67
SCHEDIASMA. <i>De justo Vesicantium usu.</i>	107

Non fingendum , aut excogitandum quid ;
sed inveniendum quid Natura faciat aut
ferat

Verulamius de augmento scientiarum

Non plures admittend^e sunt causæ effectuum
naturalium , quam quæ veræ sunt , & iis
~~explicandis sufficiunt.~~

Newton Philosoph. Reg.



*Ad Rectam & Facillimam Febres Es-
sentiales curandi Methodum Expe-
rientia comprobatam.*

INTRODUCTIO.

I.



I de humanis opinionibus licet unquam dubitare, potiori fane jure de Medicorum sententiis, quippe quæ non semper solidis innituntur principiis, dubitandum. Quamplures errores, & præjudicia in Arte Medica a sedulioribus Viris tot sæculorum decursu detecta, & dissipata fuisse in compertis habemus. Utinam nulla amplius essent. At quis unquam sanæ mentis est, qui id sibi persuadere poterit? Nostra fortassis, & séra ætas erronea deprehendet ea, de quibus veteres certi erant, atque recentiores minime audent dubitare. Præjudicium valde perniciosum apud quodam medentes in Febrium essentialium curatione regnare apertissime mihi quidem videtur, quo delecto, atque difflato, recta Fe-
A bres

bres essentiales curandi ratio in clariori lumine collocabitur. Præmissa itaque Febris descriptione, ejusdemque causa proxima, atque evidentibus perpensis, problema magni momenti, a quo recta Febrium curandi methodus pendet, resolvere aggrediemur.

C A P. I

Quid Febris Essentialis nomine veniat declaratur.

II. **M**Orbum, de quo agere exordimur, ab humani corporis calore præternaturali, symptomate scilicet patentiori, nomen accepisse apud Græcos, Latinosque factis superque manifestum est. A Græcis enim πυρετόν, απὸ τῆς πύρος hoc est ab igne, a Latinis vero Febris a veteri & obsoleto verbo ferreo nuncupatur. Valde tamen inter se discrepant Medicinæ scriptores in Februm natura, causaque proxima definienda. Pro varietate sectarum, alii Febrim calorem dixerunt præternaturalem in corde accensum; fermentationem item præternaturalem & turbulentam alii; nonnulli sanguinis vitium vel a qualitate, vel a quantitate, vel a motu, vel ab horum aliquibus simul sumpsis, vel ab omnibus ortum; aliqui Febris naturam in spasmo generis nervosi, & vasculosi sitam esse contendunt; alii denique, ne longior sim, in vitalium et muscularium virium im-

pro

3

proportione collocant. Verum Febris natura
innotescere nequit, nisi prius ejus causa pro-
xima detecta & declarata.

III. Modo autem, ut quid apud medentes
Febris nomine veniat intelligatur, præstat
concinniorem aliquam ejus descriptionem a
phænomenis petitam in medium afferre. *Fe-
bris est morbus sive affectio præter naturam
universi corporis, alias cum horripilatione
plerumque cum calore affligens, semper au-
tem cum pulsuum celeritate & frequentia, &
respirationis difficultate aliqua præternaturali:
item cum functionum reliquarum omnium ali-
quali læsione.* Antequam in causam proximam
& immediatam harum læsionum omnium, quæ
Febris præsentiam declarant, inquiramus, ani-
madvertendum, nostri instituti esse, de Febri-
bus tantum essentialibus dictis agere, earum-
que veram rectamque curationem patefacere,
minime vero de symptomaticis, quarum fa-
natio a morbi primarii, cuius symptoma sunt,
curatione dependet.

IV. Essentiales Febres nuncupamus, quæ
ita corpus universum occupant, & affligunt,
ut pars quæpiam peculiaris, quæ Febri pri-
mum formitem suggererit, eamque conservet
& alat, designari non possit: Febres vero
quæ ab apparenti & certo partis peculiaris
vitio coniungunt, & si in iis totum simul
corpus ægrotare videatur symptomaticas di-
cimus.

V. Quæ cum ita sunt, habitualibus, & in-

A 2

flam:

4 inflammatoriis quibusdam Febribus ab externa causa excitatis , forsan etiam variolosis & morbilliosis exceptis , reliquas Febres omnes quocumque nomine ab auctoribus designatas , continuas nimirum , vel intermittentes , acutas vel chronicas , benignas vel malignas , continentes & inflammatorias ab interna causa genitas , essentiales appellamus . Excipimus autem ab essentialium censu habituales , hecticæ vulgo dictæ , quippe quæ a solidorum vitio , & inde plerumque orta cacochymia purulenta nascuntur : excipimus & inflammatorias ab externa & evidenti causa natas puta a magnis vulneribus , contusionibus , osfium fracturis , ambustionibus , item a venenis vel haematis , ~~vel externe applicitis~~ , similibusque causis . Advertendum tamen vulneratis , fractis , ambustis , vel contusis non raro essentiales quoque Febres accedere , quæ tales censendæ si periodum servare , ceterisque essentialium Febrium symptomatibus stipatae videantur . Denique variolosæ & morbillosæ Febres , quarum causa proxima adhuc abdita , a Febrium , quas essentiales dicimus , numero extrudendæ quoque videntur .

VI. Mirum profecto nonnullis videbitur nos sub censu Febrium essentialium & inflammatorias omnes ab interna causa genitas commemorasse ; præsertim cum fere semper a medentibus inflammatoriæ stases tanquam morbi primarii & essentiales , e contrario febres illis adjunctæ tanquam symptomaticæ accipiuntur .

5

piuntur. Etenim practicæ medicinæ scriptores hepatis, uteri, pleuræ, pulmonum &c. inflammationes tanquam morbos ~~essentialis~~, nunquam vero tanquam Februm symptomata, ex inveterato præjudicio (quod maxime dolendum) curandos docent. Atqui si licet eloqui quod sentio; Ego quidem experientia multiplici edoclus, nec non Felicis Plateri sagacissimi practici auctoritate (1) suffultus, ejusmodi inflammatorias affectiones non primarios morbos, sed Februm symptomata semper esse censeo. Velle saltem medentes de hac re dubitare, naturamque ipsam accuratius consulere, sed proposita veritas ex infra dicendis clarius innotescet.

VII. Neque lymphaticæ Febres a numero essentialium expungendæ videntur. Nam Febres lymphaticæ, cuiusmodi sunt quæ cum podagra, arthritide, rheumatismo, catarrhis copulantur, tanquam inflammatoriæ, licet ejusmodi inflammationes in suppurationem ferre nunquam terminentur, accipiendæ, lymphatica sane Febris omnium inflammatoriarum levissima est; adeoque non secus ac Febres inflammatoriæ supra recensitæ inter essentiales numeranda. Uno verbo Febres essentiales dicimus eàs omnes, quæ ab una similiq[ue] interna causa, varia tamen ratione disposita, enascuntur; quam causam sequenti capite exponere fatagemus.

A 3

CAP.

(1) Vid. Franc. Torti Therapeut. Special. Lib. V. Cap. I.

C A P. II.

De Causa proxima Febrium Essentialium.

VIII. **V**ariis nominibus saepe eandem Febrium indicari apud medicinæ scriptores cuique Artem Medicam profitenti exploratum esse reor: ut plurimum enim, neglecta causa, ex symptomatibus nomenclaturam deducentes, tot finxerunt nomina, quot paulo graviora symptomata in illis occurrebant, quibus non aucto Febrium numero, Medicinæ tamen progressibus, & agrotantium curationi obstiterunt. Quamquam autem Febres plurimæ ratione symptomatum diversæ appareant; ex origine vero non adeo differenti pendent. Operæ igitur pretium me facturum existimavi variis rationum momentis, atque auctoritate celebriorum medicinæ scriptorum ostendere Febres omnes effentiales ab una interna, & proxima causa, Bile nimirum, diverso modo affecta accendi, atque foveri; ut palam fieret non valde diversa methodo eas curandas esse. Primus, quod sciam, Cl. Tissot, ad pauca tantum genera Febres cunctas referendas censuit (2). Eas, inquit, *tum auctorum lectio-*
ne, tum maxime experientia edocetas, ne
una quidem excepta, ad intermitentes, in-
flammatorias, putridas, aut ex iis copularas
esse redigendas. Verum & pauca hæc ab ipso

(2) *De Febri Biliosa Lausannensi.*

7

ipso statuta genera ab una Bile produci ostendemus.

IX. Veteres certe, qui seduliores in observando, quam excogitando fuere, Febrim Hæmitritæam, Trithiophyam, Typhos omnes, Lypyriam, Epialam, Causus, quæ omnes malignæ audiunt, nec non periodicas omnes a Bile circa præcordia congesta oriri censuerunt, & sanarunt medicamentis Bili infestis. Unum aut alterum locum ex Hippocrate excerptum in medium afferre sit satis. *Febris plurimæ, inquit, (3) a bile fiunt, præsertim continens, quotidiana, tertiana, Quartana; & alibi (4), Ubi febris adest, sitis fortis lingua aspera & nigra, color biliosus est, & spuma biliosa, æger extrinsecus frigidus sit, intrinsecus valde calidus, ibi conducunt frigefacientia, & morbus a Bile fit, cum mota intra corpus firmata fuerit.* Tanti magistri vestigia prementes subsequuti deinceps Medici, quasdam ex memoratis Febribus nonnisi a Bile derivarunt. Alberti, ut est apud Tiffot (5) afferuit Causum esse summum Febris Cholericae gradum: Jurner, & Hoffman. uno eodemque capitulo de Febre Biliosa & Causo pertractant. Laud. Hoffman (6) morbos exponens, qui a Bile perversa,

A 4

& ad

(3) Lib. de Natura human. §. 27,

(4) Lib. de Affectionibus. §. 11.

(5) De Febri Biliosa Lausannensi.

(6) Tom. VI. Oper. de Bile medicin, & vera corpor. §. 2. edition. Genevæ.

& ad sanguinem traducta fiunt, eos inter præcipue Febres, & quidem Biliosas dictas, tertianas duplices, continentes recenset; & alibi (7). contra ea, inquit, plurimæ dantur Febrium species, ut Biliosæ, Quartanæ, & Tertianæ æstivæ, quæ plerumque post diurnam & precalidam, & siccæ tempestatis constitutionem a Bile nimis intemperata, & acri, calida & volatili incunabula trahunt.

X. Joannes Huxam a Biliis potissimum vi-
tio omnes Febres malignas dictas repetit [8].
Bilis partes, ait, *procul dubio in omnibus putridis, malignis & petechialibus nimium præ aliis dominantur*. *Fellis vesicula, ductus que biliferi semper in illis nigra, & viridi Bile repleta inveniuntur, qui morbo pestilenti fuerunt necati*; sic quoque ventriculus duodenum, ceteraque Quod si nunc putrida hæc Biliis non educitur, ista magis, magisque corrumpitur, & magnam anxietatem, ventriculi ægritudinem, dolorem, ceteraque excitat; atque resorpta, & ad sanguinem delata mala inducit infinita, genus nervosum valde irritat, crasim sanguinis destruit & lympham in arrodentem pervertit ichorum

(7) Ibidem de recta Cortic. Chin. usu in Februb. intermitt. §. 27.

(8) Cap. de Putridis, Malign. & Petechial. Febribus.

rem (9). Magnus Boerhaavius [10]. *Bilis*, *flava*, inquit, *vitellina*, *porracea*, *æruginoſa*, *isatodes*, *solo motu*, *convulſione*, *animi affectu*, *ſepe nascitur*, *cauſa viu explicata hactenus*; *producit autem multos malos que morbos*, *nauseas*, *horrorem contra cibos*, *tormina*, *flatus*, *borborygmos*, *Diarrhæas*, *Dysenterias*, *acutos morbos*, *Febres*, *convulſiones*. Præterea modo laud. auctor paulo post (11) *inflammationes*, *Gangrænas*, *ſphacelos*, *dolores atrocissimos a Bile atra excitari autumat*. Uno verbo ex Boerhaavii sententia degenerata & vitiata *Bilis Febres* prognit, & symptomata quæcumque febrilia.

XI. Veteres itaque omnes, & ex recentioribus plurimi a Bile multas Febres fieri apte

(9) An non Febres omnes pestilentes ab una venenata Bile nascuntur? Factum procul dubio quandoque ut Biliosa Epidemica Febris cum pestilentia confunderetur. Refert sane Livius ab Urbe condita ad ann. 450. Romanos quindecies pestilentiam passos fuisse; quin Lancisius Dissert. de advena Romani Cæli qualitate multo plures fuisse eo temporis spatio ex eodem Livio colligit. At scite advertit Prin glius non pestilentias, sed epidemicas malignas Fe bres fuisse. Et Galenus Hæmitritæam, quæ certe maligna, Romanæ Urbis Febrim appellat. Hæc forsan ratio est cur olim facultas Medica Neapolitana Chinchinam adversus pestem utilissimam censuit referente Sebastiano Badio Medico Gennensi in lib. Anastasis peruviani cortic. ann. 1663. edito.

(10) Instit. Medic. §. 788.

(11) Ibidem §. 789.

te fatentur. At recentiores isti licet vitiatam Bilem Februm proximam causam censem: eam vero putridam & alchalescentem credunt, atque cum aliorum humorum putredine consociatam Febres accendere statuunt: Contra Bernardinus Zendrinus a Bilis aciditate (12) febres fieri opinatur, Sed de his commodius loco suo dicemus.

XII. Nonnulli præterea a Veterum sententia desciverunt, vel quia Bilem non sanguinis faciem, & animali æconomiae infestam, ut illi opinabantur, sed succum hepatis ope a sanguine secretum, & variis usibus destinatum agnoscentes, ad tot diversas febres, ac tanta & tam varia symptomata excitanda minime idoneum crediderunt: vel quia Bilem copiosam ab ægris evacuatam, Febris potius effectum, quam causam cum Frider. Hoffmann. judicarunt. Quare, inquit ipse (13) veteres Bilem, quæ encernitur, causam febris habuerint, quæ tamquam potius ejus est productum: atque præsertim cum post copiofas egestiones biliosas in cadaveribus cystidem Bile turgidam deprehenderint. Repudiata itaque veteri sententia aliis alias Februm proximas causas pro diversitate Hypothesium, varietateque seclarum commenti sunt. Verum quoniam posita una Bile viciosa ~~pro~~ Febris causa proxima, non modo cunctæ discrepantes

(12) Trattato della China China.

(13) Tom. VI. Oper. da Bile medicin. & venen. corporis §. 12.

tes opiniones, alibi recensitæ, cum Veterum & nostra, conciliari possunt; verum etiam quæcumque a Medicinæ scriptoribus de Febris natura, causis evidenteribus, recidivis, symptomatibus, antecedentibus, & concomitantibus, Febrisque sive salutaribus, sive perniciiosis effectibus adhuc prolatæ sunt, facili negotio intelliguntur; necesse igitur non est tot diversarum Hypothesium vanitatem, & futilitatem demonstrare; sufficit dum taxat animadvertere ex iis nullas cum recta Febres curandi methodo perfecte quadrare.

XIII. Quamquam Frider. Hoffman. loco indicato, Bilem copiosam ab Ægrotis egestam Febris potius effectum, quam causam censeat, eo præsertim argumento inductus, quod Cystis fellea, ut advertit Hildanus, post copiosas evacuationes biliosas in caderibus bile referta deprehendatur: veruntamen & ipsem variis suorum Operum locis Bilem Febris causam esse apertissime (14) docet. Et quidem parva licet Bilis quantitas multam lympham intestinalem, & excrementa ipsa flavo colore inficere valet; ex quo fit ut Bilis excretiones aliquando copiosissimæ videantur. Nec parva certe est Bilis copia, quæ quotidie in hepate fecerintur, adnotantibus Borello, & Revenhorstio; quin & per Febrinæ ipsam copiosiorem (15) fie-

(14) Loco citato §. 2. 12. 22. & alibi.

(15) Nam per Febrilem calorem eliquatur plus

fieri Bilis secretionem minime inficiandum. Verum neque Bilis secretio coposior per Febrim facta, neque observatio cystidis Bile turgidae in cadaveribus post copiosas Bilis evacuationes impedit quominus ab ejus vitio Febres accendi dicamus. Immo fortassis iis mors supervenit ex eo quia cystica Bilis non omnino e sua sede effundi, & extra corpus eliminari potuit: in iis contra, qui ex Febribus essentialibus surgunt, cystim ferre inanem remanere credendum, quoniam plerumque debellatis Febribus per copiosas evacuationes biliofas, medentes ad ea remedia confugere coguntur, quae deficientis bilis vices praestent, cuiusmodi saponacea & amara. Quid plura cum linguae amariles, quae Febres essentiales ut plurimum antevertit, vel comitatur, sicut & nausea, immo anxietas, Bilis evacuationes cum euphoria, & ea omnia, quae mox adjiciemus, Bilis vitium Febrium essentialium causam proximam esse, non vero unice effectum, satis superque evincunt.

XIV. Præterea Bilem degeneratam Februm omnium, & præfertim epidemice grassantium causam immediatam esse argumento sunt cum Dysenteriæ (16) Diarrhœæ, Coli-

æ
guedo & sanguini traditur, ac præterea salinis moleculis consociata, Bilis copiose secretioni generandæ idonea evadit.

(16) Et sane grassantibus epidemicis Febribus Diarrhœæ, Dysenteriæ, & colica biliofa frequenter

**Bilioſæ, & Erysipelaſa, quæ tunc tem-
poris fævire obſervantur; tum pleuriticorum
ſpu-**

accidunt, quod etiam animadverterat Sydenhamus
Sect. I. Cap. 2. de Morbis Epidemicis, pariter,
inquit, cum Dysenteria dicto tempore præcipue fuerint
graffatae, Febris, quæ eo anno, infestat, ea-
rundem indolem non leviter æmulatur, niſi quod illæ
cauſam morbiſicam per ſedes eliminant
Et ſane Dysenteria, de qua agitur, ipiſiſima illa
Febris eſt; hoc tantum diſcrimine, quod introver-
tur, & in iñteſina ſe exonerans, per eadem ſibi
viām faciat. Idem docet ſeduliuſimus Pringlius in
obſervationibꝫ de Morbis Caſtreñibꝫ ex anglico
idiomate, ab Archiatro Franc. Serao in italicam
linguam nitide verſis Part. III. Cap. V. §. 3. Le
febbri cominciano ad eſſere frequenti mentre la Di-
ſenteria tuttavia ſuſſite: che queſti mali paſſano tal'
ora l' uno in un altro. Quod etiam Part. I. Cap.
1, clariuſ affirmaverat. Id iſpum in funeſiſima nea-
politana Epidemia ann. 1764. poſt annonæ diriſiſ-
ma caritatem obſervare datum fuit. Quia immo
adnotatione dignum, eos, qui a Diarrhæa corripiuntur,
a febri non iñfestari. Idem quoque dicendū
de Colica bilioſa, quæ excitari quoque ſolet inter
febres epidemicas, ut teſtatum reliquit laud. Sydenh.
Sect. IV. Cap. VII. Dum hæc ſcribebam ad me
conſulendum accedebat Presbyter annorum circiter 32.,
temperamenti bilioſi, retulitque ſe anteactis annis,
accedente ætivo calore, febre corripi ſolitum: at
paucis ab hinc annis, cum in Urbe hac domicilium
ſuum ſtatueret, ætivo tempore non amplius febre,
ſed effraſni diarrhoea per ſep̄tem vel octo dies affligi
cum tenui ponderis, ac diſtentionis in regione epiga-
ſtrica; nec non cum levi ictero copulata. Contra-
rium quandoque accidiffe teſtatur Frid. Hoffmann Tom.
VI.

sputa flavescentia , urinæque colore admodum croceo infectæ .

XV. Porro ut clarius pateat Febres omnes essentiales ab una proxima causa scilicet degenerata Bile pendere , animadvertisendum 1. Omnes memoratas febres facile inter se permutari ; 2. Similem fere semper esse earum invadendi modum ; 3. Denique omnes , ne intermittentibus quidem exceptis , epidemice graffari solitas . Sæpe enim intermittentes evadunt continuæ ; & vice versa : quotidiana in tertianam , & tertiana in quartanam , & contra , permutantur : Remittens fit continens ; non inflammatoria in inflammatoriam degenerat , & vicissim . Omnes profecto essentiales ~~malignanter naturam nascisci possunt~~ ; Omnes item febres cum nausea , horrore , rigore , oscitacione , pandiculatione , extremorum perfrigeratione , vomitu quandoque Bilioso &c. invadunt , licet deinceps vario modo decurrant . Cunctas denique epidemice quandoque graffari fere omnes Medicinæ scriptores memoriæ tradiderunt .

XVI.

VI. Oper. de Bile Medic. & venen. corpor. §. 27.
Aliquoties , inquit , quoque advertimus illos , quæ antea biliosis adfuetis Diarrheis criticis fuerunt obnoxii , si sequenti anno non eveniant , harum loco Febribus tertianis cum morbu , dolore , & venericuli ratione coripi , qua vomitu , aut alvineditione materia biliosa flavescentis , & copiose subortis cessare solent . Bilis itaque ad alvum follicitandam destinata cum acrior sit Diarrheam , Dysenteriam , Colicas biliosas , vel febres excitat .

XVI. Si qui adhuc sint , qui a Bilis vi-
tio omnes Febres essentiales oriri dubitant ,
ad duo tandem attendant velim , ad earum
nimirum periodum ; curandique rationem .
Certum enim exploratumque apud omnes mo-
do est , eas Febres omnes , quæ periodum
primis saltem diebus servant , a causa extra
sanguinem existente , & in eum statu tem-
pore immissa excitari , atque soveri ; quod
præ ceteris Franc. Torti pluribus evicit [17].
Etenim a vitio sanguinis , aliorumque liquo-
rum in gyrum actorum , nonnisi continua
continens Febris ab initio ad finem usque so-
veri potest ; atque symptomata eodem sem-
per tenore procedere debent : nec fieri ullo
pacto potest , ut postquam mitiora ea facta
sint , invalescant , vimque resumant ; & sic
porro . Id sane accidit quum a venenata ma-
terie , puta fungorum , herbarum lethifera-
rum , aliarumque hujus generis rerum , semel
incaute hausta , vel etiam externe applicata
in Febrim certe , & gravissima symptomata
homines incident . Ifthæc inquam Febris , ejus-
que symptomata , nullam exacerbationem sta-
tis dierum horis , periodumque nullam ser-
vare observatur ; sed interrupto cursu ad
interitum , vel ad salutem terminatur . At
Febres periodicæ , cuiusmodi primariae & es-
sentiales omnes nonnisi ab interna viscerum
naturalium labe ortum ducere possunt ; quæ
certa diei hora sanguini accedens , sympto-

mas

(17) Therapeut. special. Lib. I. Cap. 5.

mata vel nova , vel acerbiora , atque periodum in Febribus efficiat .

XVII. Quæ cum ita se habeant præter Bilis vitium nulla in ceteris humani corporis liquoribus talis labes esse potest ; quæ Febres excitet , somitemque datis temporibus subministret . Nulla quippe in liquoribus circulatis acrimonia esse potest ; nam si talis adesset , quæ animalem &conomiam turbaret , Febrimque efficeret ; hæc nullam certe periodum servabit . Neque liquores ceteri glandularum ventriculi , intestinorum , mesenterii pancreatis , aliorumque naturalium organorum acrimoniam eam habere possunt , cum a sanguine ipso , in quo antea erant , secernantur , nec porro diu stagnant , ut ex mora illos vitium contraxisse dici possit . Etenim si acres fuisserent antequam secernerentur in glandulis , Febrim certe accendissent : neque neceesse esset , ut a visceribus sanguini iterum traderentur ad periodicam Febrim excitandam . Acrimonia igitur non in sanguine , neque in ceteris liquoribus est ; sed aliunde , hoc est ex Bile in cystide diutius stagnante , quæ cum de-nuo sanguini additur , vel absentem Febrim revocat , vel præsentem exacerbat .

XVIII. Sæpius dictum a nobis est Febres omnes essentiales ab unius Bilis vitio pendere , atque ad unam omnes periodum habere : at quoniarn inter eas recessimus in inflammatorias & continentias , quæ periodo prorsus vacare videntur , oicitantia quispiam

nos redarguere posset. At nunc iterum hasce Febres periodum habere asseveramus. Pro cuius rei intelligentia præmittimus periodicas omnino eas Febres habendas esse, quæ nullam licet periodum in decursu habere videantur, periodum tamen primis diebus indicaverint. Cum Febres quædam ex intermittentibus fiant remittentes, & istæ evadant continentes: cumque in lethaliter decumbentibus talis fiat postremis duobus, aut tribus vitæ diebus periodorum obscuratio, ut nulla amplius periodus appareat; colligendum exinde est ejusmodi Febres periodum perpetuo habere, tametsi ocyus, ferius periodum ostendere desinat. Etenim procedentibus diebus non modo Bilis ob Febrim ipsam acrior fit, verum etiam majori copia ad eam, quæ prius sanguini tradita erat, adjicitur; quo fit ut sensim aucta solidorum irritatione, vasorumque obstructione, naturæque viribus interim, ejusmodi ex causis, deficientibus, nulla fiat tenacium humorum subactio, nullaque febrilis causæ expulsio; ac nulla propterea amplius Febris remissio; atque ea continens appareat, licet datis diei horis nova semper morbida materies sanguini accedat. Quod pariter verum de Febribus inflammatoriis, in quibus periodus plerumque citissime absconditur.

XIX. Ne igitur in re tanti momenti decipiamur, sedulo ad signa, quæ periodum in Febribus indicant in prima, & altera potif-

simum die attendendum. Nam accurate primam febrilis invasionis diem cum altera comparando, nullam certe Febrim ex recensitis essentialibus periodo carere deprehendemus. Plurima sane sunt symptomata, nausēa scilicet, oris amaritudo, & ariditas, sitis, ventriculi molestia, & anxietas, quandoque etiam cardialgia, vomitus, horrores, rigores, frigoris sensus, vel extremonum perfrigeratio, tremor, oscitationes, pandiculationes, capitatis dolor vel gravitas, vaniloquium, ad somnium propensio, faciei rubor, tussis molesta, respiratio frequens, unguium livor, pulsuum celeritas, restrictio, & durities &c. quae unitim, vel separatim quoties data diei hora, vel citius, ~~aut~~ seruit apparent, vel ingravescunt, periodum plane designant.

XX. Alterum ad quod attendendum n. xvi. monuimus, est earum omnium Februm sere similis curandi methodus. Omnes quidem hujusmodi Febres sive chronicæ, sive acutæ, continuæ, vel intermitentes, inflammatoriae vel seclus, benignæ, vel malignæ uno peruviano cortice rite, recteque, & opportuno tempore administrato facillime curantur, ut suo loco dicemus. Nisi igitur una esset omnium Causa proxima, hoc est vitiata Bilis, non uno eodemque certe remedio, tanquam præstantissimo antidoto, cito ac tuto, in omni ætate, sexu, regione, anni tempore, &c. omnes abigi possent.

XXI. Hactenus tam veterum, quam non-nul-

nullorum Neotericorum auctoritate , ipsaque diligent observatione , & experientia a degenerata , acri & volatili Bilis indole Febres fieri confirmatum est . Age nunc Bilis natu- ram , ejusque varias mutationes expendamus . Et si nonnulli Bilem sale acido [18] ; Alii , contra alkalino refertam putaverint : certum tamen , exploratumque apud omnes modo est aqueis , oleosis , salinis ac terreis particu- lis conflatam esse . Illud autem ex his licet inferre inter humani corporis liquores secundarios Bilem citius , faciliusque vitiari , & eum quandoque in modum , ut meri veneni naturam nanciscatur . Etenim hepatica Bilis subdulcis est , sola autem mora in cystide evadit amarissima ; & quo diutius stagnat , eo magis ejus amaror intenditur ; quin immo nullus fere humani corporis li- quor secundarius adeo heterogeneus ; nullus tamdiu stagnat ; nullus prorsus tam varios induit colores , quam cystica Bilis . Et sane quamquam in hominibus sana valetudine u- tentibus flavum illa præferat colorem , dum tamen vitio afficitur , porracea , æruginosa , isatodes , fusca , aut nigra evadit (19) .

B 2 XXII.

(18) Bilis nunquam acida , sed si cum terra effervescente visa , ab acido stomachi provenit . Vid . Haller . Elem . Physiol . Tom . VII . pag . 106 . Edit . Neapol .

(19) Bilem vervecinam , & gallinaceam semper viridem , & valde fluidam deprehendi ; affirmat que Halleras . loco citat . in plerisque animalibus vi- ridem esse .

XXII. Cystica quidem Bilis natura sua amarissima, adeoque irritandi vi aliqua predita existimanda; quandoque vero ita mutatur, & a naturali sua crasi degenerat, ut venenatam naturam induisse jure meritoque censeatur. Cl. Morgagnus in elaboratissimo opere de sedibus, & causis morborum per Anatomen indagatis (20) refert Bilem æruginosam in cadavere filioli tertiana febre demortui, observasse, cuius attactu scalpellus violaceo colore inficiebatur; eundem scalpellum eadem bile stillantem in carnem unius, aut alterius columbi cum leviter impressisset, sic quidem, ut Bilis intra vulnus remaneret; haud multo post uterque tremens, & convulsus periit: quin etiam mica panis illa admixta Bile a gallo gallinaceo devorata, hic quoque parem habuit exitum. Notatu digna est observatio 36. quam refert Borrichius in Actis Medic. Haffnien. Tom. III. ubi juvenis symptomatibus vexatus fuit quasi a veneno assumpto; ventriculi nempe erosio ab acerrima Bile sequuta est. Idem auctor scribit, *ipsa Bilis ut et alii liquores, ista non raro corpus afficiunt, ut crederes venenum esse assumptum.* Hallerus quoque refert (21) Bilem cadaverum pestis tempore in venas canum injectam, eos enecare. Legi merentur quæ habet Frider. Hoffman. loco supra indicato. Immo vulgus nostrum quo.

(20) Epist. 59. artic. 18.

(21) Loco citato pag. 109.

quoties sponte , vel medicis auxiliis , magna Bilis copia evomitur , ingentem veneni quantitatem , non immerito , ægros evomisse ajunt . At de Bile tantum , non vero de reliquis humani corporis liquidis omnino verum mihi quidem videtur , quod vulgo ajunt , ab æstivis caloribus excoqui , iisque majorem induci acrimoniam , ob rationes supra allatas . Nam si id cunctis humoribus accideret , statim innumeri morbi , ipsaque Libitina extemplo accederet , non vero Autumno , vel Hieme adventante . Etenim ceteri liquores si acres fiant , assidue tamen effunduntur , & renovantur .

XXIII. His præmissis videamus nunc qui fiat , ut ex vitiata Bile Febris præsertim , ceteraque ejus symptomata progignantur . Ea est Sanguinis , aliorumque humani corporis liquorum , in secunda valetudine , indoles , ut nec nimia spissitudine , neque acribus particulis referta sint : & si quæ hujus naturæ moleculæ adsint , per emunctoria naturalia foras eliminantur . Dummodo sanguis eo modo sit constitutus libere per propria vasa fluet ; secretiones , excretionesque optime procedent ; atque sanitas aderit : contra vero quacumque ex causa fiat ut acrimoniam , vel tenacitatem , vel utrumque simul vitium contrahat , corporis humani œconomia , & sanitatis integritas collabascit . Atque hoc quidem omnium confessione patet .

XXIV. Porro Bilis cystica in statu secundum
B 3 d

dæ valetudinis , quemadmodum ad intestina descendens horum peristalticum motum stimulo suo excitando faecum evacuationem promovet : ita ejusdem Bilis portio illa , quæ sanguini per lactea vasæ assidue traditur , Cor ipsum , atque arteriarum omnium tunicas irritando ac stimulando oscillatorium motum concitat (22) . Cystica enim Bilis amarissima semper ; adeoque stimulandi vi prædita , id , quod modo dictum est , præstat ; eoque opere peracto per urinæ vias ,

vel

(22) Ex dictis intelligitur qua de re bilioso temperamento prædicti macilenti sunt , & pulsu duro celerique gaudent : & palam fit cur biliosi inflammatoriis morbis præ ceteris obnoxii. Non enim biliosum temperamentum a solidorum textura , ut nonnulli opinantur , sed a bile acriter , quæque majori copia in iis , qui eo temperamento prædicti dicuntur , feceruntur , repetendum videtur : quin etiam a bilis acrimonia & copia peculiaris ea solidorum in biliosis dispositio nascitur. Illi enim macilenti sunt , quoniam continua , ut ita dicam , quasi febre vexantur , ut calor corporis , ac pulsuum durities atque celeritas designant ; ex qua febrili commotione fit ut nutritio inhibeatur ; solida exsiccantur , ac tendantur ; atque calor excitetur. Pro varietate individuorum diversa est secretionum , excretionumque quantitas , puta insensibilis perspirationis vel sudoris , Salivæ vel Seminis , muci narium vel urinæ &c. ii itaque biliosi sunt , quibus bilis secretio major. Quidni a bilis copia , efficaciaque majori , minori temperamenta reliqua repeti possunt ? Ex modo dictis palam fit cur ex hepatis obstructione hydrops . Nam ex defectu bilis elongescit solidorum oscillatio ; unde humorum levator & crassities .

vel per insensibilem perspirationem continenter expellitur. Rem ita se habere palearis urinarum color (23) nec non flavescentis indusiorum diutius retentorum color, dum sana valetudine fruimur luculenter ostendunt (24). Cum vero praedicta Bilis acris & nimis irritans evadit, vel venenatam indolem acquirit; nisi portio illa, quæ ad sanguinem quotidie affertur per urinæ vias, vel per corporis periphæriam, eliminetur, lentorem, tenacitatem, & acrimoniam sanguini conciliat. Ea acrimonia fit, ut Cor, Arteriæque cuiusvis diametri stimulentur, irritentur, & ad celerius oscillandum adigantur. Hæc Febris est. Animadvertendum tamen hic opportune occurrit, celerem oscillationem Cordis, & Arteriarum ex quavis alia causa genitam, citra humorum acrimoniæ, minime Febrim constitueret. A spissitudine simul, & acrimonia sanguini propter Bilem conciliata, corporis vasa minima compunguntur, coarctantur, & obstruuntur, quod cum externis in partibus.

B 4 ac.

(23) Qui urinarum color in Istericis adeo intentatur ob copiosam bilem, ut croceus, & pene ruber evadat.

(24) Adnotandum modo est pargantia remedia venereoſ morbos debellare, aliquaque humorum diſcrasiam emendare, stimulando, & augendo variorum oscillatorium motum. Etenim ea non modo intestina sollicitant; verum etiam eorum portio, quæ sanguini immiscetur, ut in compertis habemus, arteriarum oscillationes adauger; unde sanguinis, aliquaque humorum communatio & attenuatio.

accidit, sit unguium livor, extremitatum perfrigeratio, horror, rigor, fitis, linguæ ariditas; cum vero in viscerum minimis, & circumflexis vasibus, nascitur capitis gravitas, dolor, ad somnum inclinatio, virium dejetio, respiratio difficultis, uno verbo symptomata omnia, quæ primam saltem Febris accessionem, solent comitari. Cordis motu, Arteriarumque oscillationibus adactis, calor intenditur, tentoris ac spissitudinis resolutio succedit, quæ græcis ~~τιταν~~ latinis coctio dicitur. Eaque propter secretiones, excretionesque omnes, quæ Febris initio interceptæ erant, ipsaque ad declinationem properante, erumpere affectant.

XXV. Bilis igitur in statu fano intestina ad fæces deponendas sollicitat; ejusque pars per lactea vasa sanguini accedens vasculosum systema ad celerius oscillandum concitat: utrumque, vel alterutrum efficacius præstat, vel dum majori copia ex cystide effunditur, vel cum acrior evasit. Et sane quamquam a sua naturali crassi minime degeneraverit, si fiat ut copiosior ad intestina descendat, ut accidit timore vehementi perculsis, aut ira excandescentibus non modo alvum solvit, & caloris aut ardoris sensum in podice excitat; sed etiam graviora quandoque symptomata efficit, velut tormina, cardialgiam, oris amaritudinem &c. (25).

XXVI.

(25) At qui sit ut modo Diarrœa, Dysenteria

XXVI. Duplii lædendi vi , irritandi nimurum , & inspissandi Bilem pollere Icterus ipse satis superque nobis ostendit . Nulli sane dubium in Regio morbo Bilem sanguinam affusam esse : atqui de sensu quodam pruritus in universa corporis superficie , nec non de virium imbecillitate præternaturali Ictericæ potissimum conqueruntur : sed pruritus a stimulo , imbecillitas ab humorum spissitudine nascitur . Istiusmodi Bilis vires valentiores sunt , dum ea a statu naturali desciscit , potentissimæ tandem si veneni naturam acquirit . Duobus præsertim modis Bilis a naturali sua crasi recedit , vel cum effœta , vappida , & iners evadit , quod cum accidit , tantum abest ut alvum sollicitet , vel vasculosum systema ad validiores oscillationes concitet , ut potius alvi stipticitatem , tardumque humorum circuitum efficiat , quemadmodum in hypochondriacis evenit : vel contra cum acrior fit . Quarum degenerationum causæ ab ejus componentium principiorum quantitate deducendæ . Nimurum si salinis particulis vel magis unitis , vel majori copia collectis Bilis

re-

ria , cardialgia , tormina , modo vomitus , alias Febris , vel denique omnia simul ab eadem Bile accident ? Si locus conjecturis , quibus aliquando in rebus medicis innitendum ; dicarem a Bilis crassitie , & salium copia Diarrœam , Dysenteriam , cardialgiam , tormina &c. produci ; ab ejus contra oleosa parte attenuata , & fere volatiliem & spirituofam indolem nacta Febrim potius accendi ; cum vero utrumque vitium in ea copulatur , cuncta simul progredi .

referta sit, majori certe stimulandi, & irritandi vi pollet; si vero aqua, vel terrea ejus pars augeatur, vappida & iners evadit. At de Bilis profecto stimulandi & irritandi facultate nullus dubitat: inspissandi præterea vi Bilem pollere sequenti experimento patet.

XXVII. Bilem cysticam fere ad unciam semis ex Cadavere hominis annorum circiter 35. putrida Febri, & pulmonum inflammatio-ne demortui, exemptam in cyathum conjeci, eoque uncias ferme quinque sanguinis ex vena brachii sani hominis prodeuntis excepti, atque bacillo ligneo exagitando, Bilem cum sanguine perfecte commiscui. Alio cyatho uncias item quinque sanguinis ejusdem excepti; & bacillo ligneo pariter exagitavi. Merus hic sanguis paulo post in scissile crassamentum, & serum fecessit; ille vero cui Bilis admixta, licet biduo affervaretur, nunquam in crassamentum & serum facessit; sed adeo tenax factus, ut in fila subtilissima duci posset, non secus ac evenit Bili dum ex cystide sensim effunditur.

XXVIII. Quemadmodum in hominibus, qui spirituosa, salsa, & aromatica larga manu ingurgitant, ob irritamentum solidis inductum Febris species quædam excitatur. Nam spirituosa & aromatica sicuti os, et fauces irritant, eodem modo sanguini mixta internam ventriculorum cordis, arteriarumque omnium superficiem irritando, systalticum motum concitant; unde Febris species quædam & imago se

se prodit : simili ferme modo a Bile vitiata sanguini affusa, ob ejus irritantem vim Febris accenditur. Verum non leve intercedit discrimen inter febriles motus a spirituosis, & aromaticis in corpore natos, & veram Febris a Bile progenitam . Etenim licet acrimoniam quædam ac lensor ex illis causis in sanguine fiant, cum vero neque hujusmodi causæ permanentes sint , neque ingens sit acrimoniam in sanguine genita ; fit inde ut febrilis ea commotio , & facile sedetur , & cessantibus causis reverti nequeat ; nisi crapula reiteretur . Febris vicissim a Bile accensa , & facile reddit , & ægre compesci , & extingui potest. Animadvertendum tamen febrilem motum ab illis causis excitatum facile sedari dummodo nullum præexistat Bilis vitium , aut ad vitium contrahendum dispositio : alias ex enarratis causis, ~~ans~~ essentialibus quoque Febribus datur (ut aliquando ex lautis conviviis accidit) quæ statim temporibus redeunt , cursumque suum absolvunt ; at a vitiosa Bile tanquam causa proxima suam ducunt originem , licet ab externis causis nasci videantur .

XXIX. Diximus Cap. II. Febres omnes essentiales & primarias a Bilis vitio pendere . Cum autem una sit earum omnium causa proxima , jure quis sciscitari posset , undenam tanta inter eas varietas deducenda ? Id quidem ex proposita causa interna & proxima , concurrentibus una accidentibus quibusdam facilius , quam ex ulla quavis adhuc excogitata

ta causa, explicatur . Nam si fiat ut omne acre ac spissum a Bilis vitio redditum , aucta vasorum oscillatione febrilis excadescientia tempore , resolutum & subactum , vel per insensibilem perspirationem , aut sudorem , vel per urinæ vias , aliaque emunctoria extra corpus eliminetur , Febris tunc omnino intermittit ; nec revertitur , nisi rursus cystica Bilis invisceribus stabulans sanguini commisceatur ; si vero non omnino per dicta emunctoria foras expellatur , neque omnia obstructa vascula referentur , Febris licet mitescat , non omnino tamen intermittit ; atque pro majori , minorive acrum , tenaciumque molecularum expulsione , vel facilitiore , aut difficiliore subactio- ne magis , vel minus , ocyus , serius Febris mitescere observatur .

XXX. Quod vero ad Febres acutas vel chronicas attinet , a majori vel minori Bilis efficacia , vel quantitate immissa in sanguinem earum varietas repetenda . Siquidem majori copia Bilis vitiosa , majorique vitio prædita in circulatos humores intrudatur , neque a naturæ viribus id humorum vitium corrigi , & emendari possit , ob gravitatem symptomatum inde pendentium , celeremque cursum Febris acuta dicetur . Et acuta quidem Febris continua continens Synocha , vel Synochos græcis dicta , cum omne acre & spissum nulla ope a naturæ viribus , vel ob copiam , vel ob nimiam tenacitatem , resolvi , concoqui , atque extra corpus eliminari possit : at si aliquo

quo modo vitiosum emendatur , & vascula obstructa qualibet die deobstruuntur , acuta Febris remittens erit . Ex dictis aperte patet quare Febres quædam sint continuæ remittentes , aliæ vero continuæ continentes ; & istæ ut plurimum inflammatoriæ alicui stasi sive occultæ , sive manifestæ copulentur . Cum autem in Bile vitiosa inspissandi & irritandi vis insit , non aliunde inflammatoriarum Febrium , quæ ab interna causa nascuntur , proxima causa quærenda . Et quidem Febris , quæ cum erysipelate copulatur , nulli dubium quin a Bile proficiscatur . Idem de ceteris inflammatoriis dicendum , quas omnes propterea essentiales esse afferuimus . Fiunt enim inflammatoriæ congestiones a sanguinis acrimonia , non vero a simplici stagnatione , & intrusione ejus in angustiora , minimæque diametri vasa , vel a sola illius effusione in telam cellulofam . At quæ major acrimonia in sanguine , nisi biliosa ? Denique ex iis , quæ postea dicturi sumus , clarius patebit Febres inflammatorias nonnisi a Bile excitari .

XXXI. Præterea cum in Bile diversi esse possint acrimonæ gradus ; sit inde ut Febres quædam Benignæ sint , facileque curentur : aliæ vero malignæ & periculo plenæ . Ex diversitate quoque virium irritandi , & inspissandi ejusdem Bilis reliquarum Febrium varietas deducenda . Nam si major sit irritandi , & stimulandi , quam figendi & inspissandi efficacia , Febris excitabitur vehementior , æstuor,

sior, & inflammatoria, magnis concomitata symptomatibus: fin major sit inspissandi vis, minor vero stimulandi, Febris nascetur maligna, vulgo coaguli dicta. Nam ex majori Bilis virulentia talis spissitudo in humoribus generatur, ut innumeri undique canaliculi obstruantur, ac proinde vis vitae omnino sufflaminetur, & extinguitur; Neque Febris istiusmodi intermittet, vel remittet, cum innumeris obstructa vascula, & potissimum nervosa, nunquam omnino referari possint. Quod si his Bilis viribus, sanguinis quoque discrasia, ob aggestas impuritates ex secretionibus, excretionibusque, quocumque modo imminutis, accedit, numerosiora, gravioraque in Febris symptomata insurgent; eaque valde interfere differre videbuntur. Variæ item Febres erunt pro tempestatum, ac temperamentorum diversitate. Etenim Febris hiemalis, & vernalis anginas, erysipelata, pleuritides, peripneumonias, rheumatismos &c. magis secum fert: Æstiva vero ut plurimum ardens, atque cum delirio, vel convulsionibus copulatur; Autumnalis soporosas affectiones, exanthemata, parotides, plerumque infert. Porro in tempore phlegmatico potius coma, quam delirium, aut convulsiones, aut inflammations; fecus in cholericō febrenti accident; atque in cholericō, & sanguineo, si calida quoque tempestas accedit Febris ardens videbitur. Diversitas igitur Febrium essentialium, varietasque symptomatum, quæ illas comitantur, varie-

rietati degeneratæ Bilis , crasis sanguinis, ætatis , temperamenti, anni temporis, reliquorumque accidentium , ne dicam perversæ quoque medendi methodo , non vero diversitatæ cauſæ proximæ tribuenda . Patet igitur ex dictis quæcæ graſſantibus epidemicis Febribus in una regione , Urbe , Pago , Nosocomio , Carbore , &c. Ægri diversis affligantur symptomatibus , & si causa procathartica una, eademque censeatur.

XXXII. At quæret fortasse quispiam, qui fiat ut Febræ fere omnes aliquando in malignam naturam degenerent ? Ex hac tenus dictis facile est huic quæſtioni ſatisfacere . Nam ſingulis diebus nova ſemper ſanguini labes accedit ; cumque cystica Bilis per Febrim ipſam majus vitium acquirat , ut infra ostendetur ; fit inde ut major ſanguini ſpiftudo , acrimonia major accedat ; qua de re vaſculis nonnullis in praecedentibus Febris accessionibus , vel exacerbationibus jam obſtructis , nec dum reſeratis, alia interim infarciantur; liquoresque ob adauctas reſiſtentias, ſtimulosque maiores Cordi additos, impetu majori ad loca minus reſiſtentia propelluntur; atque humorum æquabilis circumductio deſtruitur ; unde pluriū functionum læſiones , truculenta ſymptomata , Mors . Ea , inquam , omnia accidunt , quæ malignitatem Febris declarant . Etenim ex stagnante in cerebri involucris lympha vel ſanguine , virium dejectio , & ſoporofæ affectiones ; vel ob irritationem in com-

communi sensorio factam , capitis affectus , dolores nempe , deliria , convulsiones &c. accidunt : atque ex eisdem causis , humorum scilicet tenacitate, & acrimonia Biliosa ob- structiones inflammatoriæ , exanthemata varii coloris , spirandi difficultates , parotides &c. quæ omnia dum Febri superveniunt , de ejus malignitate nemo amplius dubitabit . Verum hæc omnia non statim ab initio Febris , sed paulatim se produnt ; ex eo quia in dies no- va, & magis lethifera biliosa materies sanguini adjicitur , dum quotidie exacerbationes , accessionesque revertuntur . Ita se rem habe- re, vel ex eo fit manifestum , quod nunquam unica die ; unaque febrili accessione ; sed plu- rium dierum spatio , hoc est quinto , septime- mo nono, & ultra die a Febri ægrotum inter- fici observatum sit . Benignæ igitur Febres malignitatem procedente tempore induunt .

XXXIII. Non absimili modo quandoque Febris , quæ lymphatica videbatur , vel talis revera erat , cum ex cohibita perspiratione na- sceretur , in malignam degenerasse vifa est . Nam cum Bilis magna copia in cystide collecta sive sponte , sive per Febrim ipsam , & copiosius per choledochum ductum , ad intestina effun- ditur , tunc lymphatica Febris in malignam commutatur . Verum e re visum est animad- vertere lymphaticam Febrim , quæ ex interce- pta perspiratione excitatur , non sine Bilis vitio aliquo accendi ; eaque propter merito inter essentiales recensendam . Accenditur quip- pe

pe lymphatica Febris cum per impeditam perspirationem retinentur in sanguine biliosæ in primis, magna copia congestæ moleculæ, quæ eliminandæ erant. Ex quo patet cur idem homo æquali frigori, & humiditati aeris, temporibus diversis expositus; atque si plures homines eidem ambientis aeris inclemenciæ subjiciantur, non semper, nec omnes; sed ii tantum, quibus Bilis copia major, vel magis degenerata sanguini affusa reperitur, Febri, aliisque gravioribus affectionibus corripiantur: & inter eos Biliosi præsertim inflammatoriis morbis tententur. Porro qui Coryza graviori, vel Rheumate afficiuntur, flavescentem, vel viridescentem, hoc est bille infectam pituitam excernunt. In lymphatica Febri quædam fit inflammationis albæ species (si ita loqui licet) quæ fere nunquam ad suppurationem transit. Quid quæso Arthritis, Rheumatismus, Catarri, nisi inflammatoriæ affectiones cum lymphatica Febre conjunctæ? Non enim hujusmodi morbi a simplici lymphæ stagnatione pendent; stagnat sane lympha in Ædemate, Leucophlegmatia, Anasarca, at nulla ex ea stagnatione Febris; ab acrimonia itaque biliosa supra memoratæ affectiones lymphaticæ oriuntur.

XXXIV. Nodus nunc, prima fronte valde difficilis, solvendus occurrit. Cur nimirum si a Bile Febris, & Regius morbus proficiuntur, fiat plerumque Icterus sine

C

Fe-

Febri; alias cum Febri; alias Febris sine eo? Bilis hepaticæ a cystica differentia; atque hujus majus, vel minus vitium horum phænomenorum causa. Simplex Regius morbus oritur dum hepatica Bilis, quæ parum natura sua acris, & minimum excitandæ Febri idonea per poros biliarios in sanguinem migrat. At quoties Febri, quæ ab amarissima cystica Bile per lactea vaſa sanguini mixta excitatur, Icterus adjungitur, tanta in cystica Bile est virulentia, quæ citius, serius, pro ejus gradu, hepatis œconomiam perturbat, ita quidem, ut hepatica bilis sanguini, per biliarios poros accedens Regium morbum efficiat; eaque propter, quo majus bilis vitium, eo citius Febri Icterus, & periculosior accedit, quanto minus, eo serius, & minus pernicioſus, dummodo nulla sit in dextro hipochondrio durities, ut testatum reliquit Hipp. (26) Quod si ut plurimum in Febribus nulla cutis flavedo appareat, id non impedit quominus a Bilis vitio, eas fieri affirmemus. Sufficit fane parva venenata Bilis portio, ad pessimas Febres, & gravissima symptomata excita, quin sensibili flavedine se prodat. Etenim Febris erysipelacea, de qua nemo dubitat quin a Bile proficiscatur, nullum tamen in universa cute, nec etiam in ipsa albuginea oculorum tunica flavum colorem prefefert. Non semel cadavera hominum dissecui, quibus post acutissimos pectoris, aut lu-

(26) Sect. IV. aph. 62. & 64.

lumborum dolores, sine ratione extemplo evanescentes, capitis dolor acerbus, furditas, convulsiones sævissimæ accesserunt, cum sollicita morte, in his inquam nullum in pectori, lumbisque vitium; sed tantum sub dura, & pia menynge serum flavum, idest acerrima & venenata Bile infectum deprehendi.

XXXV. Heic jam tempus est illorum opinionem expendere, qui Febres quasdam ex iis, quas a Bilis vitio soveri diximus, a putredine repetunt, atque putridas nuncupant. Nonnulli cum vulgo ex alimentorum reliquiis fæcibusque corruptis, & in intestinorum tractu stabulantibus fere semper accendi essentiales Febres existimant. Verum quis ignorat hypochondriacos plerumque obstinata alvi stipticitate laborare nec nisi plurium dierum intervallo fæces deponere solere; neque tamen eos ex ea causa in Febrim incidere (27). Præterea omnibus notissimum esse reor, nil frequentius, quam homines in nidorosam cruditatem incidere: atque etiam quandoque putrida & olidissima alvi excrementa dejicere, nulla interim febrili excedentia conflictari. Neque nimia alimentorum ingurgitatio (ut vulgo creditur) tanquam Febrium causa accusanda. Etenim ex

C 2

ea

(27) De Frider. Ruischio refert Schreiberus, illum semel in hebdomada fæces excernere solitum fuisse. Atque Stalpart van der Wiel. observ. 5. Centur. I. scribit integræ valetudinis hominem fuisse, cui quinta demum septimana alvis evacuabatur.

ea, potius alia corporis incommoda, quam Febris, consequuntur: vel si demus Febrim ea ex causa excitari uno tantum emetico, vel cathartico adhibito illa cito definit; immo plerumque nullo medico auxilio, sola natura vomitu, vel alvo soluta sibi medicinam comparat. Neque tandem Febris eam ob causam excitata periodum ullam servare poterit; atque si servaverit (quod quando accidisse fertur) a cystica Bile, ea occasione commota Febrim eam soveri jure meritoque censendum. Crapula igitur non est causa proxima, sed inter occasionales & evidentes referenda; præfertim cum non in omnibus, nec semper post eam Febris excitat.

XXXVI. Plurimi inter recentiores [28] a putredine Bilis, aliorumque humani corporis humorum, quin & ipsius sanguinis hasce Febris fieri censent, ideoque putridas biliolas nominandas. Calore ajunt, æstivo, ut reliqui corporis liquores, ita etiam Bilis putrescit, hoc tantum discrimine, quod Bilis citius corruptitur, & minus puteat, reliqui vero humoris, si tardius putrefiant, gravius tamen oleant. Corrupta autem Bilis, putridique liquores corporis copiosiori indigent perspiratione, qua extra corpus septicæ particulæ eliminantur; atque si perspiratio intercipiatur statim Febris exoritur, non secus ac in partis

(28) Pringl. Osservazioni su le malattie dell' Armata Part. IV. cap. 3.

tis alicujus humani corporis suppuratione contingit. Verum , si quid video , hæc biliosæ putridæ Febris theoria cum experientia & observationibus pugnat . Non modo enim tetrū odorem , sed nec ipsam tenuitatem , fluiditatemque , quæ eorum sententia , fidissimi & inieparabiles putredinis comites habentur in Bile cadaverum illorum , qui hujusmodi Febribus obierunt , observare datum : quin contra eorum cystica Bilis cohærentia sua , ut sæpe expertus sum , terebinthinæ viscositatem superare visa est : nec nisi triduo , postquam e cadavere exempta fuerat gravem odorem , piscis instar putrescentis , reddere incipiebat . Præterea Bilis sponte , vel emotico rejecta primis Febris diebus , licet amarissima , nunquam tamen vel minimum graveolens observata . Ideoque humorum putredo , quæ procedente tempore in Febribus observatur , effectus rectius , quam causa Febrium censenda est . Bilis quippe vitiosæ efficacia primis accessionibus , sive paroxysmis febrilibus , humores intestinalium glandularum , ut & ceterarum partium , præsertim oris & linguæ (ut ejus velamentum ostendit) figuntur & inspissantur ; atque , stagnando temporis diuturnitate , caloreque febrili putrescant ; eaque propter morbo jam adulto , & ad exitum properante , olidissimæ alvi dejectiones , sudores graveolentes , & meteorismus succedunt ; quæ putredinis indicia nunquam sub morbi initio se produnt . Jure

itaque morbi principium cruditatis status ,
hoc est tenacitatis appellatur . Quod si fiat ,
ut egri sub initio morbi vomitu , vel diar-
rhæa vehementi vitiatam Bilem ejiciant , vel
Ferbri non corripiuntur ; vel ea correpti fa-
cile liberantur . Denique si putredo Febrium
causa proxima esset , antiseptica omnia , ve-
l ut ad putredinem corrigendam idonea , ad
Febrim quoque abigendam valerent : at Fe-
bres istiusmodi uni peruviano cortici cedunt ,
non vero ceteris antisepticis præstantioribus ;
aut etiam emeticis , vel catharticis sæpius re-
petitis .

XXXVII. Qui putredinis theoriz pluri-
mum tribuunt Febres malignas , & putridas vulgo
dictas , quæ in locis humidis palustribus ;
tampisque stercoratis , & humilibus excitan-
tur , & particulis septicis seu putridis ex ve-
getantium , insectorum , piscium , & anima-
lium omne genus , mortuorum , & putrescen-
tium exhalantibus repetunt . Verum effluvia
istiusmodi noxia , aut etiam organica , ut ait
Cl. Lancisius earum Febrium genuina causa
proxima non videtur . Nam in gangræna , &
sphacelo organorum corporis , in magnis ab-
scessibus [29] partium internarum , uteri ném-
pe ,

(29) Cadaver anno 1775. Bisecti , in quo dex-
ter pulmo omnino corruptus , dextraque Thoracis ca-
vitas parvula mysterie referta ; Jecoris pars posterior
faccus erat pure sanguineo plenus ; & quamquam æger
ab annis duobus post Febrim acutam de hepatis de-
luge ad jugulum , scapulam , & claviculam dextram
ex-

pe, hepatis, mesenterii, renum, pulmonum &c. summa certe putredo, non vero vehe-
mens Febris, aut magnis comitata sympto-
matibus, aut malignitate praedita post geni-
tum pus, factamque necrosim observatur.
Præterea si ejusmodi Febres ab iis effluviis
saliva, potu, cibo, vel si mavis respiratione
absorptis tanquam a causa proxima excitaren-
tur; nil pronius esset quam horum locorum
incolas putridum habere sanguinem, putrido-
que semper morbo interire; at frequentius
iis in locis vitam traducentes obstructionibus,
cachexia, hydrope, tumoribus, ceterisque mor-
bis a solidorum imminuto elaterio pendenti-
bus conflictantur. Demum si ex memoratis efflu-
viis putridæ Febres nascerentur: haec procul dubio
in Urbibus populosis frequentissime graffarentur.
Nusquam enim putrida, corrupta, acria, se-
ptica, & copiosiora effluvia, ob sepulchra,
cœmeteria, cloacas, stabula, coriorum offici-
cinas, Nosocomia, laniena, ceteraque ejus-
dem generis, quam in ejusmodi Civitatibus.
Quin si a putrido tabo Febres fierent, quæ
peruviano cortice curantur: eo magis reme-
dium hoc ad purulentas affectiones sanandas

C 4

va-

extenso, plus minus, at semper quereretur. Integro
etiam biennio, tussicula sicca, spirandi difficultate
aliqua vexatus; febri tamen lenta laboravit; neque
ad mortem usque ægratus hic magnis febrilibus sym-
ptomatibus, neque magna Febri, summa licet humo-
rum adesset putredo, affici visus est; per dies tan-
tum quinque ante obitum, pus sanguine infectum
tussi rejicit.

valeret. At hæc omnia minime accidere ob-servantur.

XXXVIII. Lumbrici teretes, qui aliquando in hujusmodi, Febris vel per vomitum, vel per secessum excernuntur, quique a putredine foveri & ali reputantur, putredinem Febris causam proximam esse designare ne-queunt. Nam excerni solent, & quidem copiose quandoque nulla existente Febre: & contra licet Febre putrida detineantur ægri, nulos ut plurimum vermes evacuant. Præ-terea si putredo vermium fomes, & alimen-tum, cur in hujusmodi Febris vermes ple-rumque primis diebus, vivi, procedente vero tempore, ac proinde putredinē adacta, mor-tui tandem fere semper prodeant? Verum si loco putredinis Bilem vitiosam substituamus omnia facillime intelliguntur. Etenim quo-ties ægri primis Febris diebus vermes vivos, vel mortuos ejiciunt indicium est Bilem le-thiferam esse, quam ne ipsi vermes tolerare valent; ex quo colligendum perniciosem eam Febrim futuram esse, ut in dies experientia ostendit. Cum vero tanta Bilio virulentia, non est, ut primis diebus lumbricos fugare, aut interficere valeat; procedentibus vero die-bus, adacto illius vitio tandem enecabit. Hæc sane non evenirent si a putredine ver-mibus amica Febris fierent?

XXXIX. Neque vero organica effluvia Lancisii hoc est examina infectorum invisi-bilium per aera obvolitantium hujusmodi Fe-brium

brium causa proxima esse possunt. Nam præter quam quod ea invisibilia prorsus commentitia sunt : non sic facile etiam in humani corporis circulatis liquoribus vivere possunt. Effluvia supra memorata, & aeris eorum locorum humiditas inter causas remotas & evidentes numeranda, ut infra ostendemus.

C A P. III.

De Evidentibus Febrium Essentialium Causis.

XL. **E**videntes, externas, & procatharticas morborum causas appellant Medici eas, quæ illorum generationi ansam dare aptæ natæ sunt. A sex nonnaturalibus rebus Febres potissimum accendi satis superque apud omnes compertum habemus. Inter eas primum sibi vindicat locum Aer, qui suis præsertim qualitatibus excedentibus, si nimirum valde calidus sit, vel impense frigidus, aut humidus, vel siccus Febrium fomes est. Et Aeris quidem calor nimius corporis pinguedinem eliquando, copiosiori Bilis secretioni materiem subministrat : atque aquosam ejusdem Bilis partem dissipando, quæ salinas moleculas disgregatas detinebat, iisque fortius, arctiusque oleosis revinctis, Bilem acerimam reddit ; (30) non secus atque evenit hy-

[30] Ex lixivio, quo Sapo niger conficitur, se-

hydrargyro salinis moleculis consociato , dum sublimatum corrosivum conficitur . Primus omnium Hipp. (31) memoriae tradidit , *Æstatis servoribus corpus magis biliosum fieri.*

XLI. Ambientis aeris frigus intensem ac diuturnum humanum corpus constringit , & vascula omnia reddit angustiora (32); Cutimque exsiccat , & corrugat , poros occludit , atque perspirationem vel penitus coercet , vel humorum tenuiorum tantum partem evap- rare permittit . Ex quo fit ut universa san- guinis massa non modo densior , spissiorque , & ob particularum heterogenearum & præ- fertim biliosarum retentionem confpurcata , & acris evadat : verum etiam ejus quantitas ad libras aliquot (33) augeatur , dum interea

va-

Tepticum oleum , quod valde caelicum est , sola evaporatione comparatur ; qua certe evaporatione fit ut salinae particulae fortius inter se cohærent .

(31) *De salubri vietis ratione textus 15.*

(32) *Nemo sane ignorat frigore omnia corpo- ra in minus volumen redigi , & sensibiliter huma- num , ejusque fibras breviores fieri ; eaque propter vasa sanguinea angustari . Anuli , quibus digitii ex or- nantur , exemplum nobis exhibent luculentissimum ii flante austro , & aere paulo calidiore difficillime , flantibus vicissim borealibus ventis , frigoreque con- stipatis digitis , ab his facilissime eximuntur .*

[33] *Quæcumque sit perspirationis quantitas nycthemeri spatio , licet diversa pro varietate locorum , ætatum , temporum , vita generis , vietus ra- tionis , ac temperamentorum , docentibus Sanctorio , Keillio , Gorterio , aliisque . id profecto extra omne du-*

vasculosum systema propter frigus constringitur & coarctatur. His ita se habentibus post aestivos calores, Bile jam exasperata, si fiat ut perspiratio, ob ambientis aeris intempestivum frigus (34) ex pluvia, vel aquilonari vento genitum, cohibeatur innumeri a Bile pendentes morbi nascuntur, veluti catarrhi, arthritides, rheumatismi, inflammatoriae affectiones, Febres tertianae, vel quartanae, continuae, acutae, ac denique malignae, Diarrhoeae item (35) Dysenteriae &c. Scite, propterea Sanctorius (36). Si perspirabile, inquit; neque a natura, neque a calore febrii resolveretur, corpus illico ad malignam Febrim preparatur: ad hoc etiam respiciens saepe laud. Hoffman (37). Nihil magis, ait, Bilem viciat, quam solemnis illa per corp-

dubium est, illa intercepta, sanguinem ad libras aliquot gravari, & defodari.

[34] Dioscorides inter venena sextae Classis frigus recenset. Sydenh. ab insensibili perspiratione intercepta plures mortuos, quam peste, gladio, atque fame scribit Sect. VI. Cap. I.

(35) Pringlius Part. I. Cap. 3. Part. II. Cap. 2. diserte ostendit Diarrhoeas, ac Dysenterias Castræ non a fructibus horæis, sed a cohibita perspiratione ortum ducere. Per frigus externum corporis ambitus constringitur; Cystis sellea forsitan etiam coarctatur, bilemque copiosorem ad intestina effundit; ex qua memorati morbi nascuntur. An non hæc ratio est liquefcentis alvi a balneo frigido?

(36) Aphor. static. 46.

(37) Tom. VI. Oper. de Bile Medicina & veneno corporis.

poris superficie cohibita evacuatio.

XLII. Bilis itaque per ambientis Aeris calorem , ut supra dictum est , plerumque vitio officitur dummodo tamen , ut frequenter accidit , per insenibilem perspirationem libere extra corporis confinia amandatur , nulum inde tam aestivo , quam hiemali tempore sanitatis incommodum accidit . Verum quacumque ex causa fiat , & quavis anni tempestate , ut illa intercipiatur gravia se quantur mala necesse est . Quin immo dicens fas est nunquam sine aut levi , aut gravi sanitatis incommodo talem evacuationem cohiberi ; atque ~~pro~~ ^{præ}terea caloris ac frigoris vicissitudines (38) gravissima mala inferre .

XLIII. Reliquæ Aeris qualitates humitas nempe , ac siccitas , tanti momenti non sunt , ut Bilem , ac cetera humani corporis fluida solidaque valeant disturbare ; proindeque ad Ferbes excitandas parum idoneæ observantur .

XLIV. Heic vero roget quis , sit ne aliud præterea in atmosphera vitium , unde Febres populariter graffantes repeti possint ? Ajunt fere omnes , idque Hipp. auctoritate confirmare contendunt ; quem eo spectasse volunt cum

(38) Huc spectat quod Lucius Florus Lib. IV. Histor. Roman. Cap. 10. scripsit reliquit . Mox & ardores per Armeniam , & nives per Cappadociam , & utriusque Coeli subita mutatio pro pestilentia fuit . Sic vix tertia parte de sexdecim Legionibus reliqua .

cum scripsit (39) Oportet igitur si quid in
morbis rō Θυσιον, hoc est divinum, inest, il-
- lius quoque ediscere providentiam. Verum
 quid sit hippocraticum istud *divinum* quot
 interpres, tot sententiæ, quas Galenus in
 comment. 2. ad hunc locum refert refellit
 que: aliis quippe est Deorum in mortales
 ira defæviens; aliis decretiorum dierum co-
 gnitio, atque aliis aliud: multis vero non
 spernendis argumentorum momentis probat,
divinum illud esse ambientis nos aeris con-
 ditionem, quæ videlicet apud eundem loco ci-
 tato. Sydenhamus perpendens annos aeris
 temperie pares, dispari tamen infestari mor-
 borum genere, qui neque calori, neque fri-
 gori, non sicco, humidove ortum suum de-
 berent, effluvia e terræ visceribus prodeun-
 tia adstruxit, (40) quorum vi & aer conta-
 minaretur, & humana corpora huic, aut illi
 morbo addicerentur, quæ alterna vice exacto
 annorum certo curriculo, sibi succederent.
 Frider. Hoffman (41) ex observationibus Hip-
 pocratis, Galeni, Pechlini, Foresti, Mont-
 tani, Lancisi, aliorumque, duplicitis generis
 esse affirmat venenum illud, quod ex aquis
 stagnantibus, putridisque corporibus per aerem
 dispergitur, & causa est Febrium malignarum,
 vel putridum, vel acre & causticæ indolis.

**XLV. Extra omnem dubitationis aleam
 po-**

(39) Prognost. Sect. I. textu 4.

(40) Sect. I. Cap. 2.

(41) Tom. I. Part. II. Cap. 4. §. 12.

positum est oriri satis frequenter Febres pernicioſas ab Aeris, & locorum mutatione, ab aere item Nosocomiorum, Carcerum, Nauium &c. Certum præterea apud omnes Physicos est, effluvia omnium corporum in aere obvolitare; & præsertim ex stagnis, paludi- bus, Cloacis vastas Urbes expurgantibus, animalium lanienis, coriorumque officinis, fime que putredine, aliisque corporibus promanantia. At effluvia istiusmodi putrida, vel acria & cauſtica, vel alterius cujuscumque indolis ſint, non alia via, niſi per os ingeſta humanum corpus inficiunt; neque extera- nam corporis ullam partem, quam immedia- te attingunt, pefſum dare obſervantur. Ea itaque effluvia in ventriculo, & Duodeno Intestino biliōſis moleculis confociata, quæ ad degenerandum a crati naturali jam di- poſita, tale vitium in hæc biliōſa elementa inducunt, a quo Febris excitatur, & fo- vetur. Noxia itaque in Aere contenta effluvia ignis ſcintillæ ſimilia videntur, quæ dum in pul- verem pyrium, vel aliam phlogiſticam ma- teriam incident, magnum excitat incendium. Qua de re fit ut non omnes homines iisdem effluviis obnoxii in Febres incident, ſed iſtantum, in quibus biliōſa materies ad vitium contrahendum di- poſita reperitur. Ceterum licet ægri ab iis effluviis subtrahantur, & in loca fani aeris traducantur, uſu emeticorum & purgantium non obſtante, Febris periodica per plures dies pariter affliguntur.

XLVI. Non aliunde igitur malignæ , contagiosæ & epidemicæ Febres originem trahunt , nisi ex vitiata Bile , præsertim cum eodem modo currentur , ac reliquæ , ut n. XX. dictum est . Quod vero in memoratis locis hujusmodi Febres perniciosiores sint , id ori- tur ex eo quia humana corpora (42) , quæ diutius ea loca , quibus assueta non sunt , in- colunt , minus perspirant , solidorumque elas- ter imminuitur ; ex quo fit ut liquida lenta , & acria evadant . Etenim non semper statim ac homines in hujusmodi aere degere incipiunt , male febricitant , sed aliquo tempore elas-

(42) Sed unde fit , ut in Cælo non fano , ani- malia fere cuncta optima valetudine utantur , homi- nes vero plerumque pessime ægrotent ? Licet animan- tium morbi nobis non satis explorati sint ; quibusdam pro- cul dubio ægritudinibus ea obnoxia vivunt . Sed quid- quid ea de re sit , certum tamen est , maximam in- tercedere differentiam inter Bilem humanam , & Brutorum . Pecudum Bilis fere semper viridis , & maxime fluxilis , humana vero varios contrahit colo- res , atque tenacissima est . Sed quod maxime notan- dum nullum ex animantibus ceteris tam variis ali- mentorum generibus vescitur , quam Homo . Ali- menta varia diversis saporibus prædita , diversis sali- nis moleculis scatent ; hæc ratio videtur quare non tam facile a chemicis vera salinarum Bilis molecu- larum indoles determinari adhuc potuerit . Utuntur porro homines acribus , aromaticis , ac spirituosis con- dimentis , quæ tanquam venena ab animalibus abhor- rentur . Nil mirum itaque si humana Bilis tam pra- vam indolem nanciscatur ; atque tot , tantorumque morborum causa sit , quibus Bruta immunia vivunt .

elapso ; atque messores nostri non inter mes-
sis labores , sed in patriam reduces , licet non
omnes , plures tamen maligna Febri corri-
piuntur . Eam pravam sanguinis diathesim ,
majorem , minoremve in causa esse censemus ,
cur ex iis, alii quidem intereant , alii vero be-
nigniter decumbant, licet eodem in loco , & in
eadem quoque familia febricitent . Sed quam-
quam ex aeris inclemens fiat solidorum laxitas ,
& inde humorum spissitudo , si nulla interea
Bilis degeneratio accedit , Cachexia , Obstru-
ctiones , Hydrops , similesque morbi in aere
non sano viventibus accident potius , quam
Febres . Verum quid plura , cum in locis
etiam sano aere præditis Febres supra memo-
ratis omnino similes aliquando accendantur ;
a causa igitur in hominibus genita , licet
quandoque ab aeris vitiis concitata , hujusmo-
di Febres oriri , & ali , minime licet dubi-
tare .

XLVII. Graftantibus epidemice Febris ex
confirmato præjudicio statim miasma quod-
dam in atmosphæra latitare vulgo fertur .
Quod sane præjudicium summopere noxiū ef-
fe solet , ex eo quia , eo miasmate adscito ,
nec morborum internas causas , & naturam ,
nec temporum vicissitudines considerare Me-
dentes amplius satagunt ; qua de re fit ut cu-
ratio , & prophylaxis recte institui nequeat .
Primo morbi , qui populariter quandoque af-
fligunt , veluti Febres , Pleuritides , Peripneu-
moniae , Catarri , Diarrhææ , Dysenteriae ,
Rheu-

49

Rheumatismi &c. nullo certe Hieme & Vere, & si minime populariter, non observantur, quamquam nulla de miasmate suspicio sit. Cur ergo si a miasmate sunt, quandoque sine miasmate accident? Secundo si in atmosphæra quid lateret vitii, omnes quippe eodem loco degentes uno similique morbo afficerentur; cum ab aeris vitio fere impossibile sit labem effugere. Tertio si venenata qualitas in aere absconderetur, ea procul dubio irritans, pungens, stimulans & caustica sit oportet, cum enumerata mala progignat, cuiusmodi nonnulli etiam opinati sunt; ideoque partes corporis aeri magis expositas & tenellas pessimum daret, oculos nempe, nares, os, fauces, & irritabilissimam Trachæ tunicam, in omnibus viventibus, ac præcipue infantibus; quod sane non evenit. At dicet quispiam venenum hoc aereum per os recta ad ventriculum deferri; eaque propter in hujusmodi Febribus emetica summe inficua ab omnibus, experiri & valdopere commendari; quod non inficiamur, sed hoc ipsum magis sententiam nostram confirmat. Nam nullum remedium promptius Bilem cysticam effundit, & evacuat, quam vomitorium; ideoque opportunissimum. In humanis igitur corporibus causa præparatur, & latitat, corrupta scilicet, & degenerata Bilis, quæ tunc suam potissimum tyrannidem exercet, cum per causas evidentes vel excitatur, vel in majus vitium perducitur; Evidentes vero cau-

D sæ

se quoties universales , & diuturnæ, populares
morbos excitant.

XLVIII. Hactenus de Aere , reliquas modo nonnaturales res breviter expendamus . Cibi & potus redundantia Vomitum potius , Choleram , alvi fluxum, vel Cardialgiam pro-gignit : at pravi succi alimenta si vulgo a populo , & ad longum tempus , ut in publica egestate accidere solet , usurpentur Fébres epidemicas , mali mors , contagiosas , & pestilentes accendere valent ; non alia tam ratione , ac de aeris vitiis dictum est . Quod vero motum & quietem , somnum & vigiliam , excreta & retenta attinet , tanti momenti hæc omnia habenda sunt , ut nisi vitiata Bilis in corpore præextiterit , alia potius sanitatis incommoda , quam Fébres effentiales efficere apta deprehenduntur .

XLIX. Animi profecto passiones præcipuam quandam ad bonam , sive adversam valetudinem vim habere in competitis habemus . Ira præfertim , & Timor perniciose plerumque Fébres inducunt . Quod adeo verum est , ut ii , qui Fébris naturam in nervi systematis , nervosique liquidi vitio constituant , ea potissimum observatione suam Hypothesim apertissime confirmari contendunt . Ajunt enim quæ sedes est præcipua , & subjectum hujusmodi passionum , eadem & Fébris generatim primaria sedes , nervi scilicet , nerveumque liquidum ; ea de re animi pathemata Fébres accidunt . Ad hæc addant ipsissima phæno-me-

mena in plerisque passionibus occurtere, quæ in Febri, veluti tremores, perfrigerationes, incalcentiae, pulsusque celeritas & frequen-
tia. At, pace tantorum Virorum, intelligi
nequit qui fiat, ut tale vitium ab animi
pathemate nervi, liquidumque nerveum sta-
tim contrahant, quod Febrim efficere valeat,
& singulis diebus renovare, postmodum ali-
qua accidente crisi, & per secessum præser-
tim, ea extinguitur. Deinde minime com-
prehendi potest cur non semper, nec in om-
nibus, nec illico, quemadmodum alia nervo-
rum symptomata, puta tremores, convulsio-
nes &c. ita & Febres iram vel timorem se-
quuntur. Horum phænomenorum rationem
supra expositis maxime congruam reddit Fri-
der. Hoffman. (43) *Si Bilis.* inquit, *magna*
quantitate & qualitate simul peccet, & extra
ordinem in intestinum duodenum præterna-
turaliter ejicitur, varia symptomata produ-
cit. Evenit id potissimum a gravi iræ ex-
candescentia cum magno impetu convulsis fi-
bris muscularibus tam vesicæ, quam ductuum,
non modo oris amaritatem, nauseam, appeti-
tum prostratum, cardalgiam, sed etiam vo-
mitum parit, vel ventris tortina, *& Bilio-*
sam diarrhæam excitat. Ubi notandum, quod
si mox excernatur res periculi expers est: si
vero iracundia fuerit suppressa, vel cohibi-
ta, accidit sœpe ut commota Bilis in cavi-

D 2

ta-

(43) Tom. VI. De Bile medicina, & vene-
no corporis §. 26.

sute intestinorum hærens non excernatur sed ad sanguinem perveniat, & Febres, aceritas convulsiones, spasmis, & dolores procreare soleat. Id vero si accidat nutricibus (44) puerorum lactentium convulsiones excitat.

L. Verum & si omnes homines iisdem evidentibus causis affecti, non omnes tamen in Febres incident. Id quidem evenire mihi videtur ex eo quia, in quamplurimis non diu Bilis in vesicula stagnat, vel ob vitam exercitatiſſimam, quam vivunt, vel a copioſa ali-

me-

(44) Mirum sane in Nutricibus tam subito ex animi pathemate venenum lactentibus adeo infensum generari; quod vel ipsis mulierculis notissimum. Cujus phænomeni ratio probabilior mihi quidem videatur sequens: nimirum ex vesicula fellis coactata propter vehementem animi affectionem, Bilem copiosam ad Duodenum intestinum defluere, atque per lactea mesenterii vasa ad sanguinem, ac denique lacti ipsi commisceri, quod fugentes tenerrimi infantuli misere convelluntur. Animi certe pathemata cerebrum primitus, quod Animæ sedes, nerveumque systema, ac præ ceteris vagum, & intercostalem nervum, quos sympatheticos appellant, afficiunt. Qna de re in visceribus Thoracis, & Abdominis animi passionum effectus præcipue se produnt. Notat Vieussenius in Neurographia pag. 376. ex nervi intercostalis dextri plexu hepatico semilunari sex emergere fibras, quarum tres inferiores ac minores, vesiculæ felleæ, vasis choledochis, pyloro, duodeno, & pancreati impenduntur; adeoque Bilis non tam proprio pondere ad intestina descendit, sed ductuum quoque motu adjuvatur.

mentorum ingurgitatione, ob quam distento ventriculo cystis fellea comprimitur, Bilisque promptius ex ea effunditur; vel quoniam in quibusdam hominibus parcus fecernitur; aut minor ejus copia ad cystidem defertur. Etenim cystides in quibusdam ampliores, in aliis angustiores, & plus minus Bile refertas caderum dissectiones ostendunt; negari profecto non potest pro subiectorum diversitate variam Bilis copiam dato tempore secerni. Præterea uberior quandoque Bilis fit secretio pro varia alimentorum qualitate; quemadmodum plura sunt alimenta, quæ urinæ copiam augent, ita pariter quæ Bilem. Demum sicuti in diversis hominibus varia est sanguinis diathesis, pro diversitate temporis, ætatis, alimentorum, regionum &c., varia item est Bilis quantitas, qualitas, & ad vitium contrahendum dispositio. Liquido exinde patere arbitor quare non omnes eodem loco degentes, velut qui Nosocomiis potissimum inferviunt, eodem tempore, iisdemque symptomatibus copulata, contagiosa, vel epidemica Febri corripiantur; & qui Febri vexati fuerint, diutissime deinceps inibi sani vivant, Bile nimirum maxima ex parte jam Febris tempore evacuata.

LI. At cur tantopere conati sumus ostendere, & causarum evidentium recensione confirmare, omnes essentiales Febres a Bile pendere: atque earum nonnullas, quas putridas nuncupant, nos biliofas omnes appellandas malle? Dicet enim quispiam perinde esse, si-

ve putridas, sive biliosas appellemus, præser-
am cum Bilem quoque inter ceteros liquores
putridos Febrim facientes Medici recentiores
enumerent. Verum error non levis est cau-
tem pro effectu, effectum contra pro causa
cipere: plurimi sane Bilem per Febrim co-
clusus fecerni, excernique contendunt, non
vero ab ea Febrim excitari. Porro ea quæ-
stione definita Febrium curandi methodus,
nec non prophylaxis in clariori lumine collo-
catæ deprehenduntur, ut attendenti patet.

LII. Quicumque igitur ad Bilis naturam,
ejusque varias degenerationes, atque ad sanguini-
nis ex ea natam acrimoniam, & spissitudinem
attenderit, facile Febres omnes essentiales a-
libi a nobis recensitas, a proposita causa or-
tum ducere deprehendet. Commentitias pror-
sus reputabit eorum opiniones, qui afferue-
runt a febrili materie nescio qua in sanguine
latitante Febres excitari; velut censuit præ-
ceteris Sydenhamus (45) pro explicanda Fe-
brium periodo: vel a miscela tot vitiosorum
humorum in duodeno intestino, ut asseruit
Frider. Hoffman (46); aut ab obstructione
glandularum ad nervorum apices positarum
ut creditit Alphonsus Borellus; vel vitio succi
pancreatici ut opinatus est Regnerus de Graaf;
aut a vitio in mesentericis glandulis genito,
ut probabile existimavit Franciscus Torti
(47);

(45) Sect. I. cap. 5.

(46) Tom. VI. Oper. De cortic. chinz us
in Febr. intermitt. n. 18.

(47): vel a septicis particulis, ut opinatus est Pringlius (48); vel ab epidemico miasmate nervis infenso, ut ajebat Swietenius (49); vel denique ab aliis quibuslibet causis, a nobis alias indicatis. Has omnes opiniones, quippe quæ non ex naturæ penu, sed ex phantasia posse ortæ, ad trutinam revocare non est necesse. Animadvertere interim non prætermittimus, errorem in praxi gravissimum manasse ex illorum opinione, qui febrilium periodorum causam vel in nervis, vel in ipsa sanguinis massa latitare existimarunt. Sed de hoc inferius redibit sermo.

LIII Ea tantum posita essentialium Febrium causa proxima, Bile nimirum vitiata, facili negotio explicantur fere omnia Febrium phænomena, quæ inextricabilia sunt in quaquamque hactenus excogitata hypothesi. Et primo palam fit cur plerumque hujusmodi Febris desinant crisi per alvum facta, quod primus solertissimus Freindius excussis Hippocratis epidemiiorum libris animadvertisit. Patet secundo cur facilis ex ejusmodi morbis evadant ii, quibus toto Febris decursu alvus molles, & lubrica fuerit. Tertio intelligitur quare nonnulli ab inflammatione aliqua abdita, vel patenti semper Febris, oriri affirmaverint. Quarto manifestum fit qua de causa Febris,

D 4

(47) Therapeut. sozial. lib. I. cap. 6.

(48) Part. II. cap. 4. n. 3.

(49) Commen. in Aphor. 757. Boerhaav. de cognosc. & carand. morbis.

56

bres, si cessare sine ulla crisi videantur, rever-
ti deinde soleant: & cur post annum, eadem
recurrente tempestate homines in Febris ite-
rum quandoque incident. Quinto facile com-
prehenditur quod scriptum reliquit Hippocra-
tes (50) *Quibus in Febribus aures obsurdue-
runt biliosis supervenientibus evacuationibus
liberantur: & cur, laffitudines spontaneæ mor-
bos prænunciant* (51). Sexto ratio quoque ap-
paret quare copioso in Febribus oborto fudo-
re, eæ vel omnino cessant, vel saltem inter-
mittere, aut remittere soleant. Septimo cur
in acutis arida & sicca pellis, & urinæ aqueam
tenuitatem præferentes malum portendant.
Octavo comprehenditur etiam, quare perspi-
ratione coercita, Febris & cutanei morbi, ut
erysipelas, exanthemata, purpura, papulæ mil-
liares &c. enascantur. Nono clarum fit, cur
primis decidentibus pluviis post calores æstivos,
Febris accendantur. Denique, ut cetera præ-
teream, liquido patere arbitror, cur aliquando
nulla prævia occasione, & in locis aere fano
gaudentibus pessimæ Febris accendi observen-
tur. Quod animadvertis Galenus generari,
inquit, quandoque in humano corpore humo-
res veneno similes.

CAP. IV.

(50) Lib. IV. aphor. 4.

(51) Lib. II. aphor. 5.

C A P. IV.

De Febrium Essentialium Symptomatibus

LIV. Symptomata Febrilia, quæ varia Febris essentialis diverso gradu, variisque temporibus comitari solent, apud omnes, qui de Febribus scripserunt, ac potissimum apud Herman, Boerhaavium digesta deprehenduntur, & a Cl. Swietenio sat scite explicata (52). Ea sunt Frigus, tremor, anxietas, sitis, nausea, ructus, vomitus, debilitas, calor, æstus, siccitas, delirium, coma, pervigilium, convulsio, sudor, diarrhæa, pustulæ inflammatoriae, idest exanthemata, & inflammationes omnes ab interna causa genitas; quæ omnia, & alia si quæ sint ab humorum acrimonia & spissitudine ac visciditate originem trahere nemo in dubium vertet. Cum autem per Febrim plurima corporis organa affici ac labefactari possint, multa ac diversa symptomata sequi est necesse; proptereaque non a symptomatum varietate tantæ Febrium differentiæ statuendæ. Exemplo sit Febris cui erysipelas adjungitur, quod ejus est symptomata, prout internas, vel externas corporis partes ea inflammatio occupat & afficit, diversa alia accendent symptomata, licet Febris eadem semper sit, eademque methodo semper curetur. Tempus iam

(52) Aphor. de cognoscend. & curandis morbis in 617.

jam est problema maximi momenti resolvere,
a quo recta curandi Febrium methodus omnino dependet.

C A P. V.

*An expediat Febres Essentiales in ipso
enortu extingueri.*

LV. **A** pud Ægyptios lege cautum erat, nescio qua ratione, ne medicus in Febribus ante diem quartum aliquid moveret; quam legem Aristoteles (53) potissimum ausus fuit improbare. Hipp. sancitum reliquit (54) *concocta medicari, atque movere, non autem eruda, neque in principiis morborum; modo materia non turget, plurimum vero non turget.* Et alibi (55) *Naturæ sunt morborum medicatrices.* Practica isthæc Cœi Senis dogmata veri speciem aliquam præferre videntur, ex eo quia tot sæculorum experientia, eos, qui a Febribus resurgebant, per criticas evacuationes, peracta prius aliquot dierum curriculo humorum coctione, ad sanitatem restitui compertum fuerat. Accedebat his quod Febris, secundum quosdam optime de re medica meritos viros, non morbus diceretur, sed ipsius vitæ affectio conantis mortem avertere, vel rectius naturæ molimen ad subigendam, at-

(53) Physicor. Lib. III. Cap. 5.

(54) Section. I. Aphor. 22. & 24.

(55) Epidem. Sect. V. & Lib. de Aliment.

atque expellendam materialem causam, quæcumque ea sit, quæ molestiam parit, corporis queœconomiam perturbat. Ex his factum est ut Medici partes esse in Febrium curatione existimatū semper sit, impedimenta quædam per emetica, atque purgantia opportuno tempore propinata, sanguinis detractiones, cetera, atque evidentes causas, si quæ sint, removere; ne scilicet qui primus Febris fomes fuit, perget adhuc corporis œconomiae vim inferre, ad hoc ut natura ipsa facilius obire munus suum possit in morbosa causa expellenda.

LVI. Veterum omnium usque ad XVI. saeculi dimidium ea medendi methodus, quoniam efficax antifebrile remedium desiderabatur, sanior fuit existimata; at post Antifebrilis peruviani notitiam medentes, experientia edocti, integrum curationis Febrium opus uni naturæ minime semper committendum censuerunt. Nam dum ad impedimenta tantum tollenda attenderent, atque a natura sanationem sperarent, inauspicato vel diem obibant extremum, vel in eum statum redigebantur ægroti, a quo vix, aut ne vix quidem convalescerent. Eade remutato consilio, at non sine veteris præjudicij nota, distinguere ceperunt Febres in benignas, quas depuratorias quoque, & malignas, quas corruptorias item nuncuparunt; atque has statim ac se proderent, antifebrili remedio extinguedas; illas vero finendas, hoc est veterum methodo curandas docuerunt. Addebat porro quædam alias Febres esse mediæ naturæ inter depura-

to-

torias & corruptorias, in quibus nec symptomatum ferocia urget, nec rursum naturæ visribus omnino fidendum; hujusmodi Febres non continuo, sed cum ad statum pervenerint (quia nimirum per initium & augmentum materiei morbificæ coctionem natura molitur) succidendas autumarunt.

LVII. Age nunc videamus quæ re factum sit ut hujusmodi cautiones modo propositæ vulgo reciperentur; quum satius fuisse per antidotum jam ex divina munificencia cognitum, Febres omnes essentiales in ipso exortu subjugare; præsertim cum corruptorias illico extinguere ausi fuerint; nullo inseguente sanitatis infortunio; eo tutius quæ mediæ sunt naturæ, & ex quas depuratorias dicunt, succidere debuissent. At multiplici de causa factum ut cognitum efficacissimum antifebrile remedium, tot cautionibus, atque sat raro in usum revocaretur. Primo nefas existimatum est a veterum documentis omnino discedere. Deinde Febris ex aliquot doctissimorum virorum opinione non morbus, sed corporis medicina efficacissima est nuncupata: adeoque Febrim abigere perinde esset, ac saluberrimi medicamenti usum & fructum ægroti invidere. Tum ob timorem redditus Febris, & obstructionum, dum valde præcox fuisse Peruviani Corticis administratio. Tandem ex ignorantia naturæ, & causæ proximæ Febrium; ex quo ignoto principio modo proposita erronea documenta, inutiles que

que cautiones profluxerunt.

LVIII. Quod veterum dictata respicit, & si veneranda semper medicorum veterum auctoritas, flocci tamen facienda in Febrium curatione, cum verum, tutum, atque insons febrifugum sit jam detectum. At quod summopere interest, num Febris revera sit pro corporis medicina habenda, an potius pro morbo hominum valetudini infenso, serio pendendum. Corruptorias dictas Febres, easque quas mediæ naturæ nominant, inter morbos recensendas esse nullus dubitat, & si primas statim ac per symptomatum ferociam se manifestant, alias vero nonnisi in earum statu, recidendas malint. Febres contra benignas, vel ut dicunt depuratorias naturæ viribus, per artem tantum impedimentis, quæ ipsi naturæ esse possint, sublati, committendas velint. Febres, quæ sine graviori symptomatum comitatu, exacto aliquot dierum curriculo, prævia humorum coctione, subortisque criticis evacuationibus in sanitatem terminantur, veras benignas ac depuratorias nominant. At ab exitu facile est depuratorias a corruptoriis discernere: nemo adhuc characteres digessit, quibus sub initio una ab altera distingui possit. Depuratoriæ evadunt Febres, dum a causa levi, facileque superabili nascuntur; & dum sat validæ sunt naturæ vires, morbosamque materiam subigere aptæ. Sed fit quandoque ut quæ depuratoriæ omni-

ominino videbantur, vel subdole, vel ex accidenti aliquo circa res nonnaturales, corruptioræ evadant; quod passim accidisse est quam certissimum. His ita se habentibus est ne sanum consilium sub spe benignitatis, deputationisque, ab antifebrili remedio damnum nullum inferente se abstinere? Quis de facili, felici faustoque Febris exitu nos faciet certiores?

LIX. Præterea ex effectibus Febrim semper morbum esse nunquam corporis efficacissimam, ut ajunt, medicinam luculenter patet. Per Febrim fit sanorum humorum mutatione in morbosam indolem. Eæ enim humorum depravationes in cadaveribus reperiæ perperam incusantur, ac si causa Febris fuissent; cum revera sint tantum effectus: atque criticæ evacuationes hunc usum habent, ut illa, quæ per Febrim in morbosam indolem degeneraverant, de corpore expellantur. Febris aliquando inflammatorias fistulas infert, de quibus sub ejus initio nulla suspicio; quas dissipare sat difficile est: appetitum viresque prosternit: viscera chylopietica reddit valde debilia: obstructiones, cachexiam, hydropem, pedum œdema, capitis item ac thoracis varias affectiones progignit uno verbo longissimis quandoque ægrotos morbis implicat. Alias nullo prævio indicio, ob instantaneam mutationem quinto vel septimo die & ultra ægros e medio tollit: nonquam fit diurna & habitualis; quin ut certe.

teria silcam, diurna salem sequitur, post Febris decursum, convalescentia, quæ homines a propriis negotiis distrahet. Febris igitur, cujuscumque indolis esse possit, cum plurimum morborum sit radix, citissime, cum tuto fieri possit, subjuganda;

LX. Quamquam non raro sine ullo antifebrili remedio, olim & nunc etiam, postquam per plures dies non modo Febri, sed etiam emeticis, purgantibus, sanguinis iteratis subtractionibus, vesicatoriis, ceterisque medicis auxiliis vexati fuerint (quæ utinam semper prodeissent) ægri convaluerint : ab his tormentis, atque a Febrium consectariis, vitæque periculo immunes tamen sunt ii, quibus a sagaci medico sat tempestive febrifugum pharmacum propinatur. Ceterum si experientiae potius, quam ratiociniis, quæ dubiis & adhuc ventilatis, & excogitatis, quam veris Febrium causis innituntur, stare velimus ; nullum quidem damnum ex præpropera antifebrilis remedii administratione sequi certum est.

LXI. Neque de reditu Febris, neque de obstructionibus post Corticis peruviani usum formido ulla nos teneat. De utrisque in capite sequenti fusiori sermone agemus. Id tantummodo innuimus, redicivas præcavere jam nunc practici docti sunt ; obstructions vero nunquam facilius, quam Febribus citissime extinctis, impediuntur.

LXII. Ex ignorantia causæ proximæ, &
na-

naturæ Febris factum est, ut ea non morbus, sed corporis medicina reputaretur; ut tot in iisu peruviani febrifugi inutiles cautiones statuerentur; ut humorum coctio in Febribus expectaretur; & ut crederent sine sanguinis despumatione, ut ajebat Sydenhamus (56) Febrim debellari non posse. Mirum sane sapientissimum Virum, naturæque sedulum scrutatorem in eum errorem delapsum! Nam ex præconceppta hypothesi, quod in sanguine ipso causa Febrium earumque paroxysmorum latitaret, periculosum esse (57) inquit per corticem peruvianum uno omnino ictu Febris paroxysmum jam instantem confodere; saepem enim tunc suffocaro illo motu, qui obstraculum illud circa ultimas arteriolarum angustias natum removere poterat, pereunt ægris. Mirum, inquam, illum minime animadvertisse per febrifugum peruvianum Febris, atque obstaculi circa ultimas arteriolarum angustias, causam aboleri. Corticis enim peruviani vis in primis, ut ajunt viis, ubi Febris causa proxinia stabulat, se, ex sagaciorum practicorum sententia, exerit: eaque causa debellata, nulla sanguinis despumatio extenda. Possibile non est per Antifebrile peruvianum Febrim, hoc est naturæ molimen adversus causam morbificam, compesci, minime ejus causa debellata. Febres agitur essentiales omnes in ipso earum exortu extinguendæ.

(56) Sect. I. Cap. 4.

(57) Sect. I. Cap. 5.

dæ, cum omnes periodicæ sint; omnesque à vitiis primarum viarum suam ducant originem; atque præsertim cum id remedium innocens esse cuncti cordati viri uno ore fateantur.

LXIII. Lubet modo Bergeri auctoritatem in medium afferre. *Non possum*, inquit ipse, ut est apud Hoffman (58) probare vulgari cantilena seductam Sydenhamii cautionem, ut ne præmature nimis, antequam Febris ipsa suo se marte aliquantis per protriverit, in usum hic cortex ducatur, ne ægrotantis vita periclitetur, si sanguini, omni fermentationis nisu se despumanti, de repente remoram injiciamus. Rectius Badus, Donzellius, Listerus, Mortonus, Jones, & maxime Bohnius docent, præmissis quidem, si opus fuerit, evacuantibus, ac præsertim emeticis. mons ineunte morbo, & antequam Febris radices egerit, & succos & viscera, ac vires corporis labefactarit, usu corticis illius felicer frangi, & atteri. Hic nec recidivarum, nec ilorum metus est malorum, quæ Baglivus usui Corticis adscribit, cum potius Febris perversæ curationi, & corporis impuritatibus debuissent causam dare, quia recto corticis usu egregie adjuvantis, causam illorum malorum, una cum Febre tolli, & ratio suffragatur, & experientia monstrat; ita ut laudatus Bohnius testetur innumerabiles fe-

E

re,

(58) Tom. VI. Oper. de rect. cortic. Chia.
usu in Febr. intermitt.

rf, quibus ab initio morbi Corticem præbuerit, eoque Febrim sanaverit, nihil damni percepisse. Sed dicet quispiam laudatum auctorem id præcepisse pro intermittentium Februm curatione. Ajo. Attamen addo si præceptum hoc valet pro intermittentibus, quas Hipp. (59) periculo vacare docuit, eo magis valere debet pro curatione earum potissimum, quæ inflammatoriæ, & quæ ab aëris vitio Paludum, Carcerum, Nosocomiorum, & per contagium acciduntur. At ea est humana rerum calamitas, ut ex præsentanea Februm curatione non magnus honos assidenti medico accedat, quamquam ad orci fauces ægros accedere impedit; nec non a ceteris morbi & curationis suppliciis liberet: Vicissim post pluribus emeticis, catharticis, cephalicis, alexipharmacis, mercurialibus, dia-phoreticis, balneis frigidis, sanguinis iteratis vario modo detractionibus, ceterisque inane sonantibus pharmacis, morti jam vicinos forte fortuna ad sanitatem febientes restituunt miras curationes præstitisse dicuntur!

LXIV. Dicit quispiam quid agendum si Febris sit de genere eruptivarum, velut variolosa, morbillosa, millaris, scarlatina &c.? Afferere pro certo possumus Corticem peruvianum nulla inflammandi vi præditum esse; nunquam enim ex ejus immoderato usia inflammationem ullam ortam fuisse vidimus, aut alii peribent vidisse. Præterea si Febris de gene-

(59) Sect. IV. aphor. 43.

67

genere malignarum eruptivæ copuletur, ei
salem tali remedio obviam itur. Ceterum
si hujusmodi Febres à Bilis quoque vitio, ut
ceteræ essentiales, originem ducant (quod
non improbabile) tuto sic curantur; vel si
a vitio sanguinis, eum certe tale remedium
minime alterat; si denique ab utriusque labe,
nullum rectius consilium quam Cortice uti.
Neque verendum per id febrifugum compesci
Febrim, humoribus non repurgatis. Quæ ha-
etenus dicta sunt clarissimæ innotescunt ex iis,
quæ de recto peruviani Corticis usu mox su-
mus dicturi.

C A P. VI.

De recto Corticis peruviani usu in cura- tione Febrium Essentialium.

LXV. Non animus, nec instituti nostri
ratio postulat ea omnia pharmacia-
ca, artisque auxilia, quæ in Febrium cura-
tione vulgo usurpari solent, quippe quæ pas-
sim apud rei medicæ scriptores exarata re-
periuntur, intimius attingere; sed de Anti-
febrilis tantum peruviani usu fusiori calamo
pertractare, a cuius opportuna administra-
tione earum curationem potissimum pendere
indubium est. Mirabitur fortasse quispiam
ut animum induixerim, de Corticis peruvia-
ni usu in Febribus verba facere, post tot
egregia ab experientissimis Viris Mortono,

Torto, Hoffmanno, Zendrino aliisque ea de re sancta pracepta, atque usu etiam, & quotidiana experientia confirmata; at mirari desinet si animo reputaverit non dum practicis satis exploratam esse, neque temporis opportunitatem, ejusque vim in operando, neque rectam rationem in eo remedio propinando usurpandam, neque tandem causam multiplicem, quamobrem ejus remedii vim atque utilitatem non semper ægri perceperint. Nam licet de his quædam a laudatis scriptoribus animadversa sint, multa tamen in ejus remedii usu recentes practici etiam num peccare videntur. Isthæc ne temere quis dicta arbitretur, in antecessum istius medicaminis operandi rationem investigare satagam; ut inde facili negotio intelligere quisque possit, quibus in Febris, & quando conveniat; & quam futile sint, quæ huic medico præsidio occentari solent; deinde qua forma sit exhibendum; & cur minimam fidem ei præstent nonnulli; ac denique qua de causa aliis quoque morbis Cordati Viri profuisse testentur.

LXVI. Antequam peruviani Corticis in humano corpore operandi modum inquiramus, e re visum est ejus componentia principia designare. Ex Geoffroy instituta analysi (60) liquet hunc Corticem multum salis acidi & olei crassioris continere, perparum terræ, cum tantillo salis urinosi. Ex hac salium acid.

.i (60) Mater. Medic. Part. II. Artic. 6.

dorum, & oleofarum partium mixtura in Cortice resina exsurgit, quæ si ope menstrui idonei extrahatur, fere quartam Corticis partem æquat. Longe minor est gummosæ substantiæ portio. Præterea infusum Corticis peruviani chartam cœruleam subrubro colore inficit: unde patet fæles acidos magna copia in eo Cortice luxuriare inter olofas partes. Præter copiosas partes terreas, paucas martiales, & valde activam substantiam fixam gummeo resinosam nullum aliud principium consideratione dignum in Cortice Peruviano Frider. Cartheuser (*) agnoscit: & Celeb. D. Modelius in cineribus Chinæ Chinæ particulas ferreas invenit, quas in solis ejus remedii extractis deprehendere non potuit.

LXVII. Quod autem ad Chinchinæ actionem in humano corpore, pro debellandis Febribus, attinet: ea diverso modo a diversarum sectarum scriptoribus explicatur. Qui falem acidum coagulantem, & nerveas membranas lancingantem pro causa Febrium habent, Corticem alcalino sale refertum absorbere acidum febrilem, ejusque effectus destruere credunt. At quoniam neque in Cortice alcalini salis copia; neque alcâlica salia, sed potius acida febriles ardores compescere observamus; quantum a vero ea distet opinio nemo non videt.

LXVIII. Censent alii Febrium præfertim

E 3 • inter

(*) Fundam. Mater. Medic. Tom. II. Sect. XV. cap. 28.

intermittentium causam proximam esse suum excrementitum nervis infensum, & in sanguine redundantem ob alicujus sive sensibilis sive insensibilis evacuationis suppressionem; ejusque succi naturam ad salem alcali proxime accedere, a quo nerveum systema disturbatur, unde Febris ejusque symptomata pendent: adeoque ex eorum sententia, Corticis energia, in ejus stiptico amarore, & in acidis, quibus donatur, particulis consistit. Quod si fiat ut Corticis efficacia alcalini febrilis veneni causticitas retundatur, & simul evacuationes restituantur Febris non revertitur; si vero tantum vis alcalini veneni febrilis retundatur, non integre restitutis evacuationibus, Febris redibit. Cortex igitur peruvianus acido sale turgidus, acres causticos sales retundit & omnes corporis succos suo amarore stiptico inficit, quo fibras laxas constringit ac roborat; ac propterea excretiones ad naturae ordinem redigit. Quamquam haec opinio probabilitatis speciem aliquam praefferat; in eo tamen laborare videtur, quod febrilium paroxysmorum causam in sanguine statuat: atque Corticis actionem in sanguine ipso exerceri contendat. Verumtamen & paroxysmorum causa aliunde accedit, ut alibi dictum; & remedii actio minime sanguinem attingit. Istorum opinioni aliquo modo adstipulari videtur de Gorter, ratus (61) Corticem peruviana-

(61) De Perspirat. usu in medicina Cap. I.
§. 5.

71

vianum Febrim intermittentem abigere , quia ex ejus usu levis quidam mador in cute obser-vatur ; sed in Febribus intermittentibus non modo levis mador , sed profusus plerunque sudor in cuiuslibet paroxysmi solutione , nullo interea Cortice adhibito , accidit ; Febris tamen constanter stata hora renascitur .

LXIX. Riccardus Mortonus Februm cau-sam particulas quasdam venenatas vitæ prin-cipio seu spiritibus animalibus inimicas , esse censuit ; unde expansiva eorum facultas ob-ruitur , & flamma vitalis necessario extingui-tur ; Chinam , vero antidotorum more , vi-rulentiam febrilem subigere miasmata spiriti-bus impressa delendo , arbitratus est . Sed hæc hypothèsis prorsus imaginaria , nullis quidem probabilibus conjecturis innixa meri-to explodenda .

LXX. Joannes Pringlius Corticem vi sua antiseptica humorum putredinem cohibere , ac proinde Febres extinguere existimat . Ve-rum præter quam quod humorum putredo Februm potius effectus , quam causa est , ut alibi ostensum ; sequeretur ex ea hypothesi . cuncta quoque antiseptica Febrim suffocare , quod fane minime experientia comprobatum . Præ-terea Febres tertianas promptissime Febrifugum hoc expellit , quas nemo putridas appel-landas æstimavit . Alii porro vario etiam modo Corticis facultatem explicare satagunt . Nec denique desunt , qui hoc remedium ar-cana quadam vi sua Febres debellare fatan-

E 4 tur ;

tur ; qua de re incertus semper estet ejus usus ; nec unquam aperte constabit , quibus in Febribus , & quando id medicum auxilium sit usurpandum .

LXXI. Joan. Frider. Catheuser supra laudatus , cum detexerit partem resinosam minori quantitate , quam gummeam in Cortice Puruviano reperiri ; & hanc magis amari , illam magis styptici austeri saporis rationem in se continere : substantiam gummeam præcipue abstergendo ac mitius roborando , resinosam autem validius adstringendo in corpore operari contendit . Exinde colligit a priori generatim potentiori pendere decantatam virtutem Corticis febrifugam , non ab ignoto quodam fundamento , uti multi opinantur . Corticis itaque vis in profligandis Febribus ex ejus sententia abstersorio-adstrictoria , ab amaro-austero principio derivanda . Attamen diu multumque inter Medicinæ Scriptores de hujus remedii adstringente , vel resolvente facultate disputatum . Et sane si ejus qualitates spectemus , adstringenti seu styptica vi polle-re videbitur : si vero experientiam consulamus , nullam certe evacuationem intercipit : non ergo adstringens reputari potest : nullam contra promovet ; non itaque resolvens ; atque idem experientia moti Willisi , Hoffmannus , Mortonus , Tortus , aliique fassi sunt . Ex modo dictis jure meritoque colligi potest , hujuscem remedii facultatem , vix , ac ne vix quidem ad sanguinem pertingere , sed universali ejus vim .

vim in primis, ut dicunt, viis exerceri: atque subacta inibi febrili materia animalem œconomiam perturbante, omnia ad statum naturæ congruentem restitui.

LXXII. In re itaque difficillima, si conjecturam aliquam in medium afferre licet, dicerem potius Corticis Chinæ particulas degeneratæ, & causticæ Bilis moleculis, ob peculiarem quandam affinitatem seu vim attrahentem inter eas, associari: fierique eo confortio ut caustica salia Bilis retundantur, & volatilem indolem amittant, nec amplius per lactea vasa, aut absorbentia reliqua sanguini communicari possint. Et fane Franciscus Tortus cum Corticis Chinæ pulverem in varios liquores conjecisset, in nullis eorum, licet Bile tenuioribus ac levioribus, adeo celerem absorptionem animadvertisit, quam in Bile (62). Quod experimentum non semel a nobis quoque eodem exitu institutum. Assentientes porro habemus Frider. Hoffmanum (63) & Bernardinum Zendrinum (64), quorum primus a Cortice peruviano Bilis acrimoniam causticam retundi affirmat; alter vero non aliam vim in eo remedio, quam Bilis correctricem agnoscit. Id autem certum est celebratissimi hujus remedii facultatem,

non

(62) Therapeut. special. Lib. I. Cap. 5.

(63) Tom. VI. Oper. de Cortic. Chin. usu in Febrib. intermitt.

(64) Trattato della Chinachina.

non in sanguine universo, sed in primis diffitis viis exerceri. Etenim si in sanguine Cortex peruvianus vim suam exerceret, Febris, eo remedio semel extincta, non sic facile revivisceret: at quoniam id remedium Bilem in intestina effusam, non vero in cystide contentam emendare valet; sit inde ut si haec iterum turgescat, vel ex quacumque occasione ad intestina rursus copiosior affundatur, Febris, quae sopita videbatur, iterum excitetur. Errant igitur, qui censent rubrum urinarum colorem in Febribus a Chinchinæ usu pendere. Nam fere semper Febriendium, ante corticis exhibitionem, urinas rubras; contra copiosas ac dilutas a copiosiori corticis usu animadverti. Haec profecto observatio id, quod supra de Corticis operandi ratione innuimus potissimum confirmare videtur. Intercepto enim Bilis ad sanguinem ingressu, & Febris extinguitur, & ruber urinarum color, qui a Bile praesertim pendebat, evanescit.

LXXIII. Ex modo proposita Corticis operandi ratione plurima palam fiunt. Et primo id quod Geoffroyus afferuit (65) nimirum quod Chinchina sicuti pleraque amara medicamenta inter stomachica numeretur; Ventriculum roborat, appetitum languentem excitat, ciborum coctionem juvat, flatus discutit, vermes necat, nec non etiam urinam, & menes promovet. Et sane haec omnia

Cort.

(65) Mater. Medic. Part. II. artic. 6.

Cortex praestare videtur cum Biliis vitium emendat, quod earum affectionum causa erat. Secundo facile mente comprehenditur quare Cortex solutur ventrem plerumque compri-^{mat} (66); nimis quia Biliis acrimoniam temperat. Tertio intelligitur qua de re non nulli alvum, urinam, menses, sudorem vel insensibilem perspirationem id remedium movere crediderint. Listerus, Bohnius, Sydenhamus, Bergerus, Jones, Mortonus d'Aquin unanimi suffragio testantur Corticem egracie ventriculum roborare, appetitum exacutare, ac deficientem corporis calorem excitare, vires reficere, nec solum perspirationem promovere, sed etiam urinam, subindeque alvum: ipse etiam post Corticis usum alvum multa biliosa deponere, copiosum urinarum laticem, vel profusum sudorem succedere, pluries animadverti. Verum hæc omnia, quæ procul dubio Corticis usui supercedeunt, minime astimum nostrum inducant ad credendum id remedium tam diversis facultatis pollere. Ea enim accidentunt ex eo quia prohibito, per Antifebrile remedium noxiæ Biliis ad sanguinem accessu, nulla deinde in eo acrimoniam, & lentoris adjectio fiat; naturaque resurgentे, quicquid crassum factum jam erat, resolvitur, atque per corporis emunctoria excernitur. Ita se rem habere vel ex eo sit manifestum, quod evacuationibus illis

per

(66) Diarrhaeas Biliosas uno Cortice peruviana non semel extinctas vidi.

per cathartica , diaphoretica ; diuretica provocatis , minime tamen Febris extinguitur : sed Corticis ope , febrilis fomitis ad sanguinem accessu prohibito , feliciter dictæ evacuationes succedunt , Febrisque evanescit . Quarto luculenter patet cur non magna dosi & semel , sed partitis vicibus Cortex exhibitus Febres extinguit : nam partitis dosibus haustus per ventriculi , & intestinorum cavum dispergitur , Bilemque inibi stabulantem , aliamque dato tempore ex cystide decidentem emendat . Quinto denique ea posita theoria explicantur quæcumque a Medicinæ scriptoribus huc usque de hujus remedij operandi ratione excogitata sunt ; ac præcipue cur plerique Febrim arcana quadam hujus remedii facultate , nulla critica evacuatione interveniente , abigi affirmaverint .

LXXIV. Quæcum ita sint , opportunissimus Corticis peruviani usus in Febribus omnibus essentialibus , quas a Bilis vitio proficiisci ostendimus . Licet enim sub prima hujuscemodi inventione pro quartanis tantum Febribus , deinde pro tertianis quoque debellandis usurparetur : sagaciores porro practici , inter quos primi Mortonus & Tortus in curatione omnium Febrium periodum aliquam servantium , atque etiam malignantis naturæ , non sine summa ægrotantium utilitate , quin & cum certa fere salutis spe , adhibere peruvianum Corticem ausi sunt . Plurimæ dubio procul olim periodicæ Febres erant , e quibus pau-

paucissimi sero nimis , nec nisi summa difficultate evadere observabantur : & qui evadebant in gravissimas deinde viscerum affectiones incidentes , vitam miserrimam diuissime traducebant : unius certe nunc ~~Cortex~~ Chinæ usu Febres ejusmodi facillime , & breviter , non sine admiratione abigi & debbellari ; atque ad perfectum sanitatis statum ægros , nulla viscerum labe subsequente restitui , observamus . At eo nunc redacta res est , ut in omnibus Febribus periodicis , continuis vel intermittentibus , chronicis vel acutis , benignis vel malignis , nec non etiam inflammatoriis , quas omnes a Bilis vicio proficiunt ostendimus , tuto Cortex adhibetur .

LXXV. Recolenda hic signa , n. XIX. exposita quibus Februm periodus indicatur . In hujusmodi , inquam Febribus , sive continuis , sive intermittentibus , de opportuno Corticis usu nulli dubium esse potest ; Veruntamen nonnulli in continuis continentibus , nec non inflammatoriis , quas nullam periodum habere opinantur , id remedium usurpare verentur . Et primo quod ad continuas continentates attinet ; plurimi certe non infimi subsellii Medici inutile , vel fortasse etiam noxiū id remedium expertos fuisse fatentur . At pro rei veritate detegenda , ante omnia animadverendum plerumque intermittentes fieri continuas , & continuas evadere continentates ; atque periodicas omnes ultimis vitæ diebus , periodis penitus abolitis , continentates videri ; cuius phæ-

phænomeni n. XVIII. rationem reddere fategimus. Porro omnes fere consentiunt continentates Febres ab interna quadam, & ut plurimum ignota inflammatione foveri ; quæ quidem ex iis, quæ n. VI. dicta sunt symptomatica existimatur, nec nisi una cum Febri, ab eodem Bilis vitio pendet. Demum si Febres quædam tractu temporis continentates sicut, aliae statim, prout scilicet magis vel minus, ocyus, serius Bilis, & a Bile sanguinis vitium solida corporis afficit ; ecquis igitur non videt hujusmodi Febres, quas continentates appellant, tali medieo auxilio esse curandas, ne scilicet majori Bilis copia in dies sanguini affusa, gravius solida, & fluida humani corporis labefactentur.

LXVI. Qued de continentibus Febris dicatum, idem omnino de inflammatoriis dicendum. Nam cum morbi inflammatorii, & præfertim Erysipelas symptomata sint (ut innuitus n. VI & XXX. quod etiam sensit Felix Platerus magni nomini practicus (67)) pendeantque ab eadem, qua Febris, causa, nonnisi Cortice peruviano eos morbos curandos esse censendum est. Ego quidem nullam unquam ab eo remedio in morbis inflammatoriis propinato noxam deprehendi ; quo remedio in Erysipelite ac Pleuritide frequenter nunc utor, & felicissime in constitutione epidemicarum pleuritidum anni 1775. usus fui, atque corum ægrot-

(67) Vid. Fran. Torti Therapeut. special. Lib. V. Cap. I.

ægrotantium nullus interiit. Præterea extra omnem dubitationis aleam positum est, inflammations non in simplici liquorum stagnatione, sed potissimum in sanguinis acrimonia consistere; cum autem peruvianus Cortex nulla acrimonia sit prædictus, inflammationibus nocere nequibit; nec unquam ex immodico licet ejus remedii usu inflammationem ullam excitari observatum. Ajung nonnulli in hujusmodi casibus Corticem profuisse ex eo quia Febris erat essentialis, inflammatio vero symptomatica. At præter quam quod inflammations semper symptomaticæ habendæ sunt; sed esto quod aliquando Febris fit symptomatica, atque inflammatio morbus princeps; si itaque Cortex peruvianus symptomaticis inflammationibus non solum non necet, verum etiam summopere prodest; nullatenus inflammatoriis morbis nocere credendum.

LXXVII. Celeb. Mortonus Febris, inquit, continentes, inflammatoria, æque ac intermitentes hoc antidoto (Cortice scilicet peruviano) penitus, absque ulla recidivatione, quotidie evincuntur, & extinguuntur. Franciscus Tortus, Bernardinus Zendrinus, aliique nonnulli vel inutilem, vel noxiūm Corticis usum in morbis inflammatoriis reputant. Tortus proprias observationes in medium profert: Zendrinus noxiūm credit quoniam a principio quadam fixativo appellato inflammations fieri autumat. Verum principium istud

istud fixativum prorsus commentitium est. Ad Torti vero observationes quod attinet; non inficiamus laud. Auctorem inutilem Corticem Chinæ deprehendisse; dicimus tamen id accidisse ex eo quia nec opportuno tempore, neque convenienti dosi id remedium sit usurpatum. Evidem Chinchina rie fiant inflammatoriæ stases, vel factæ ne invalecant, præcidendo Febrim, præcavet; confirmatas vero minime valet dissipare. Lege sis observationes a laud. Torto descriptas (68) nunquam invenies ante quartam Febris accessiōnem, nec etiam magna dosi Antifebrile remedium fuisse propinatum.

LXXVIII. Denique quoniam istiusmodi Febres & ipsæ periodum suam servant, licet hæc aliquando citissime obscuretur; periodicae autem Febres omnes a Bilis vitio acciduntur, quod solo Cortice emendandum. In febrili excandescētia humores lenti, spissi, & simul acres ob causticam Bilis partem admixtam fiunt, ex his inflammatoriæ stases. Quod si fiat ut dum Febris acceditur corporis una liquores aliunde jam acres & pungentes extiterint, nil pronius erit quam inflammatorios morbos progigni; qui sane liquores nulla febrili agitatione accedente inflammationem minime peperissent. Nam si acri- monia in sanguine ob retentionem molecularum per emunctoria corporis secernendarum genita esset, non statim acutus morbus exci-

ta.

(68) *Terapeut. special. Lib. V. Cap. 4.*

taretur; Etenim sicuti pedetentim hujusmodi moleculæ impuræ, acresque in fagine colligerentur, ita paulatim corporisconomiam turbarent. Bilis itaque vitium in hisce Febris emendandum; quo præstio Febris fedabitur; ac deinde ceteris medicis auxiliis acres liquores diluuntur, ac temperantur, atque inflammatoriaæ stases resolventur.

LXXXIX. Sed quid plura cum experientia nos certiores fecerit hoc solo remedio imminentes, vel etiam incipientes inflammations, ut calor immodicus, linguae ariditas, flammens urinarum color, dolores &c, designabant, & præcaveri, & curari, justa dosi & opportuno tempore adhibito? Nec unquam linguae ariditas me ab ejus remedii exhibitione retinuit, cum essem persuasus, id a biliosa faburra in primis viis nündulantere, pendere. Etenim non semel post Corticis usum rubram, aridamque evasisse linguam, eoque intermissa humidam, alboque velamine obtestat; nulloque deinde cortice adhibito ruborem iterum ac siccitatem noctam fuisse observavi. Hæc igitur linguae accidentia falso Chinchinæ, rectius acerrimæ Bili in ventriculo collectæ sunt tribuenda, quoniam exacerbationis hora lingua ut plurimum exascit.

LXXX. Inficias ire non possum in Febris vere symptomaticis cujusmodi phthisicorum, tabidorum, vel quæcumque ex pu-

rulenta materia aut solidorum vitio , (in quibus indiscriminatim , sed sine ullo fructu , a vulgaribus quibusdam Medicis exhibetur) foventur , fere inutilem esse Corticem peruvianum ; ex eo quia hujusmodi Febres , seu rectius motus febriles , non a Bile foventur . Verum id non impedit quin hujusmodi ægrotis aliquando Febris essentialis & periodica accedat ; atque tunc ad Antifebrile remedium confugiendum . Quod vero Febres variolosas , & morbillosas spectat , cum adhuc in abdito earum causa lateat ; & fortassis a Bilis quoque peculiari vitio fiant : experiendum esset quid valeat Corticis usus opportuno tempore arreptus . Id interim certum est in secunda variolarum Febri , quam putridam appellant , id remedium efficacia non carere experientia docente .

LXXXI. Indigitæ hactenus sunt Febres , in quibus unicum & præstantissimum antifebrile est Cortex peruvianus ; modo tempus pro opportuna , ut sepius monuimus , ejus remedii exhibitione , quod potissimum interest , definiendum . Nam potissima ratio cur nonnunquam frustranea ejus opera deprehendatur , est quia tempore non opportuno adhibetur . Confirmans quæ in problematis resolutione jam dicta ; experimentis edoctus , & solidis rationum momentis innixus plerumque post primam Febris accessionem , si recte procedere velimus , Febrientibus Corticem peruvianum adhibendum edico . Etenim cum non-

nominum nonnunquam post primam Febris paroxysmum id remedium ius doli præbuerim, nulla deinceps accessio, paroxysmus nullus, continuato scilicet Corticis usq; ~~recessit~~, Febrisque continuo evanuit: cum vero post quartam vel quintam Febris diem, fatis magna etiam doct; propinaverim, nonnisi biduo post Febris resedit: quo serius ad id medicamen confugerim, eo tardius, lentiusque Febris recessit; cuius rei sat manifesta ratio. Nam Cortice oxyus adhibito, non modo præcavetur ne uberior vitiosæ Bilis quantitas sanguini admisceatur; verum etiam ne temporis diurnitate, humores corruptantur, atque solida magis afficiantur, & Cystica Bilis, febrili calore perseverante, majus virium contrahat.

LXXXII. Si qui sint, quibus proposita methodus, experimentis certe confirmata, minime arrideat, atque observationes adducant, quibus evinci posse sperant, plarimos Febri detentos ad sanitatem perducunt, vel nullo, vel fatis sero Antifebrili remedio hausto; Id negare non audemus: sciant vero citius, tuiusque tempestive eo Cortice usurpato ad sanitatem restitui. Sciant pariter easus sepe occurrere, in quibus ni post primam Febris invasionem ejus medicaminis usus arripiatur, errorem certe gravissimum, nec facile emendabilem committi. Et primo si Febris mali moris in prima sua accessione se prodat, tunc quidem nulla interposita mo-

F 2 ra

Cortex propinandus : vel saltem statim atque indicia aliquot apparent malignitatis, certe diligentis Medici sedulitatem minime effugient. Ludovicus Mercatus hujusmodi indicia deferre recenset (69) . Monstrans quidem, ait tertianam fore malignam, gravia quædam & perniciosa accidentia, quæ statim primo accessu necesse est hæsitabundum reddant Medicum - Hujus naturæ est laborantis vultus prima accessione cadaverosus, aut nimis tumidus, cum pulsus inæqualitate, parvitate, debilitate, aut interceptione, vel asphyxia. Urina nimis crassa, & prævi coloris, inquietudo insolita, annietas, syncope, animi deliquium, exsolution, & frigidus sudores, vel raro accessionis tempore inordinati rigores, difficilis respiratio, deliria, que somni profunditas, vomitus etiam æruginosus, pancytus, cum gravi nausea: & quæ non confert. Alvi fluxus pinguis, & dysentericus, variegatus, aut sinceri humoris, ingens totius corporis gravitas, aut inquietudo, & fitis, quæ nullo pacto sedatur. Sed præcipue tertianam perniciosam esse ostendunt hec figura, & alia, quæ ceteris tertianis sunt communia, cum ab iis nondum ex raro in die quietis liber evadit laborans. sic etiam malum portendit delirium, aut somnus, qui usque in diem quietis protrahuntur: item eadem die languidos, inquietos

(69) Vide Torti Therapeut. special. Lib. II. cap. 2.

tos, annios, & sciculofos superesse laborantes, aut alio quovis accidenti oppressos, quantumvis febris, vel levissima, vel nulla appareat. Sic rigorem vigente febre superesse perniciosum censemus: aut rigoris tempore corpus sudare, vel sudanda frigere, animo linqui, & plurimum venari. Quæ sane omnia diligentia animo excedat Medicus oportet, ut discat primo accessu quantum mali affectio minari soleat.

LXXXIII. Secundo non modo hæc accidentia a Mercato recensita cautum medicum reddent, ne occasio præceps Corticem offrendi præterlabatur. Sunt & alia, quæ cito tissimam remedii exhibitionem expostulant; quod ni fiat piaculum erit. Si nimirum valitudinarius graviter febricitare ceperit; vel si quis gravibus affectionibus veluti podagra, asthmate, apoplexia, obstructionibus obfirmatis, scirrhis &c. obnoxius vivit; vel si senio jam confectus sit; vel si gravissima animi pathemata præcesserint; vel si in loco, (hoc est Carcere vel Nosocomio), aut ex loco morbi aeris veniens in Febrim inciderit; aut si mali moris Febris epidemicæ graffari inceperit, aut contagii suspicio adsit; aut si cardialgia in prima Febris accessione ægrum molestet; aut denique si mulier prægnans, vel menstruas purgationes, aut lochia patiens non levi Febri corripiatur. His, inquam, similibusque casibus nulla interjecta mora Cortex peruvianus egregius, nec parca ma-

~~non~~ propinandus . Etenim nisi illico Febris succiditur universa corporis œconomia interturbatur ; atque prægnantibus præsertim abortus , menstruantibus vero , ac puerperis , naturalium evacuationum suppressio , ac stases inflammatoriaæ accident .

LXXXIV. Tertio nulla in Febri adeo prompta sit hujusce remedii exhibitio , quam in inflammatoria , ne scilicet nova in dies biliosa materies sanguini sugesta , vel inflammatoriam stasim gignat , vel iam genitam adaugeat , quæ vel in suppurationem , vel gangrenam summa cum ægrotantium pernicie sœpe transit . Post primam Febris invasionem Cortex febris fugus , nullo alio prævio remedio , si sanguinis detractionem excipias , propinandus . Et quamquam , sine ullo infortunii metu , in reliquis essentialibus Febribus idem faciendum censeamus ; nihil tamen fecius in reliquis Febribus minus perniciose non ultra quartum diem Corticis usus negligendus , ne scilicet inutilem forsan , ejus operam experiamur .

LXXXV. Chinchina itaque in omnibus Febribus essentialibus opportune quidem , si electa , cito , & apta dosi propinetur , adhibita dicitur . Quod præ aliis suadere contendit Bernardinus Zendrinus (70) nimatum post primum vel alterum paroxysmum , præmisso

eme-

(70) Trattato della Chinachina pag. 78. ediz. di Firenze ann. 1756.

emetico vel cathartico , si opus videbitur , cum plerumque negligi utrumque possit . Nam perinde est , sive haec remedia adhibeantur , sive secus . Verum casus saepe incidit , quo ne tempus feramus , cum periculum sit in mora , ea consulto negliguntur . Quia de re problema resolvendum superest , sit ne opus ante Corticis exhibitionem , catharticum , emeticum , & sanguinis detractionem in usum revocare ? Qui Febres a putrida causa reputunt , & potissimum ab alimentorum corruptis reliquiis , in errorem gravissimum eos incidere arbitrantur , qui primis viis , utroque vel saltem alterutro remedio in antecedsum non expurgatis Corticem propitiare audeant : alii vero necessitate coacti , medium tenent viam , atque Chiræ Corticent alicui cathartico vel semper vel prima saltem vice copulatum adhibent . Verum prior methodus tanquam noxia repudianda : posterior vero utpote inutilis , & indicatione minime quandoque satisfaciens reprehendenda . Etenim si æger ex repetitis Febris exacerbationibus in deterius ruat , graviora & numerosiora fiant symptomata , vitaque periculum immineat , est ne sanum consilium Febrim non intercipere , ægrosque bene purgato corpore , & non lustrata anima (ut aliquando accidit) ad inferos amandare ; an satius non purgato corpore vivere ? Cum autem neque vomitorium , neque catharticum propinatum sit , ægerque in vita differintur ,

tur , præstat , quo citius fieri potest , Antifebrile remedium putum purumque , ut promptior ejus vis sit , exhibere , atque non interrupto ejus usu , partitis vicibus Febrim suffocare ; subducentibus interim Clysteribus alvum mollire .

LXXXVI. Præterea purgantia remedia sive lenia , sive draſtica , & ſæpius repetita nunquam Febrim , & ſi ſuum fortiantur effectum , continuo extinguerem obſervata ſunt ; ſed die aliquo critico ſponte alvo ſoluta Febris cefſare ſolet : falſo inde colligitur purgantia pro Februm curatione adhibenda . Iſthæc profeſio remēdia vi ſua ſtimulante , Bilis acrimoniā augere , nec non intestina ſtimulando ad inflammatiōnem ſtasim diſponere poſſunt . Negandum tamen non eſt per ejusmodi medicamenta Bilis partem aliquam intestinis hærentem extra corpus eliminari ; ſed novæ Bilis ex ciftide affluxus ab iis ad intestina provocatur , quæ corrigenda potius quam evacuanda . Tandem laterem , ut aijunt , crudum lavamus , Febris interea altiores figit radices . Olim pro facilitori Corticis operatio ne Catharticum remedium vel præcedere vel comitari debere primam ſaltem illius exhibitionem opinabar ; at nunc experientiæ , nec non auſtoritati Sydenhamii , Restaurandi , ac Torti fretus , ab eo remedio exhibendo me temperare ſolitus ſum . Neque juvat aſſerere ſine ullo danno , nulloque antifebrili remedio ut plurimum Febres curari . At ſi

ve.

vera sunt quæ de Febrium essentialium causa proxima, Corticisque peruviani operandi ratione dicta sunt, multo certe facilius, tutius, ac brevius neglectis Catharticis, eas curari per Antifebrile peruvianum existimandum est. Purgantia porro non solum in intestinis vim suam exerunt, sed particulas stimulantes procul dubio sanguini largiuntur. Tandem fæcibus evacuandis, quæ cum extra sanguinea vasa sint, Febrium causa proxima esse nequeunt, ea remedia destinata sunt; tuto igitur negligi possunt.

LXXXVII. Quod vero ad emetici usum attinet, dicam aperte, dum crassi succi ventriculum primasque vias obsident, vel præcesserit repletio aut crapula, animi pathemata, aeris vitium, nihilque prohibeat, omnino vomitorium præmittendum; attamen exemplo adhibendum, post primam scilicet Febris accessionem; horisque deinde aliquot elapsis sedatoque vomendi conatu, ad Corticis usum configiendum. Operæ pretium ut plurimum est, id pharmacum præmittere ad Bilem cysticam extrudendam stomachumque ab infarctu liberandum; ut deinde sit promptior Antifebrilis remedii actio. Emeticorum itaque tempestivus usus summopere commendandus, præsertim cum istorum actio ad primas vias, ubi materies Biliosa residet, expurgandas adhibetur.

LXXXVIII. De sanguine mittendo in essentialium Febrium curatione, non semper

equo

æqua necessitas : sed consulenda prius ægrotantis ætas , temperamentum , vires , capitis læsiones , pulsus , ac reliqua symptomata , atque ex his justa ejus evacuationis indicatio desumenda . Atqui si alicujus sanguineæ evacuationis suppressio præcesserit , vel si de inflammatoria stasi suspicio aliqua inciderit , sine cunctatione sanguis semel , & iterum si opus sit , detrahendus ; sanguinis tamen eva- cuatio minime citam frebrifugi remedii ingurgitationem prohibet .

LXXXIX. Sed antequam pedem ultra proferamus , duo expendenda supersunt , quæ ut plurimum medentes aliquot a tempestivo hujuscce Antifebrilis usu distrahunt , timor nimirum obstructionum in visceribus natura- libus , atque Febrium redditus . Cum enim saepe post tertianas Febres , quartana sque , nec non post continuas remittentes , vel etiam acutas malignas peruviano Cortice devi- etas , ægros in viscerum naturalium obstruc- tiones incidisse animadversum sit : nil pro- minus fuit , quam eas ab ejus medicaminis usu repetere ; præfertim cum vim quandam stip- ticam , & saporem amarum is Cortex præfe- ferret . Ea opinio a medicis in vulgus mana- vit . Sed absit a boni Medici mente tantum hoc præjudicium . Nam non modo Febres eo remedio extinctas , sed nullo etiam Anti- febrili remedio solutas naturalium viscerum obstructio , excipere solet ; quin immo fre- quentius has quam illas Cortex debella-

tas .

tas. Præterea cum nulla in Cortice peruviano aut coagulandi, aut resolvendi sanguinis facultas insit, ut expertus est Franciscus Tortus (71); neque ejus actio ad sanguinem, ceterosque in gyrum actos liquores pertingat, sed in solis primis viis, ut alibi monuimus, se exerceat; diversa propterea obstructionum causa investiganda, quam detegere satagam. Qua tandem patefacta afferere non dubitabo solo peruviano Cortice, tempestive quidem adhibito non modo vitæ periculum, aliaque subsequutura Februm diuturnitatem incommoda; verum obstructions quoque ipsas certo posse præcaveri.

XC. Duplex hujusmodi obstructionum causa jure meritoque assignari vulgo solet: quarum una debilitas illa viscerum, atque vasorum ex tolerata Febri relicta; cui si aliquis diætæ error, (en altera obstructionum causa), accedat, facillime imi ventris viscera ex peculiari eorum fabrica ad id vitium contrahendum idonea, obstructionibus afficiuntur. Atque error in diæta facile committitur ab iis qui labefactatas morbo prægresso vires, copiosiori alimento restaurare sperant: vel etiam cum effræna fames (ut aliquando a Febre resurgentibus accedit) ad ingerendum copiosius alimentum eos adigit; quod certe ob viscerum chylopieticorum imbecillitatem, bilisque defectum, propter copiosas in morbi decursu biliosas evacuatio-

nes,

(71) Therapeut. special. Lib. I, cap. 3.

nes , recte concoqui nequit ; chylumque propterea crassum nec bene subactum & attenuatum sanguini tribuet . Istiusmodi ob- structionum causæ satis per se omnibus pa- tent .

XCI . Verum si memoria repetamus , quæ alibi a nobis dicta sunt , tertia obstructionum causa ex Febribus , quæ potior est , nec ab ullo , quod sciam adhuc animadversa , fiet manifesta ; quæque id remedium , de quo agitur , ab ea infamiae nota liberabit . Ostendimus sane sub initio exacerbationum in continuis frequenter , atque paroxysmi in intermittentibus Febribus semper liquores crassos in partibus corporis extremis , & a corde admodum diffitis stagnare : stagnationisque indicia , vel incuriosis ipsis facile sese prodere ; a ratione igitur alienum non est conjicere in ipsis quoque visceribus ob canarium curvitatem , & obliquitatem crassos lertosque liquores moram nectere . Sed stagnationes certe ob- strictionesque partium extremarum a motu sanguinis in Febris augmento adaucto , & a musculari earum partium motu , atque properter canarium rectitudinem facile diffitantur : difficile vicissim in visceribus id evenire spe- randum ; quorum vascula inflexa , substantia mollis & spongiosa , muscularibus denique motibus (ægris præsertim in lectulo jacen- tibus) minime agitata . Hæc sane causa vi- detur potissima , cur diurnas Febres fre- quenter viscerum obstructions sequantur .

XCII.

XCII. Ex modo expositis intelligitur, qua de re frequentius Febres intermittentes, quam continuas acutas obstrunctiones comitentur & subsequantur. In illis enim horror, rigor, frigoris sensus, diurniora, & intensiora, majorem liquorum stagnationem, obstrucionemque minimorum vasorum, quam in istis designant. Patet etiam cur in Febribus, quæ diutius duraverint profundiores, & curatu difficiliores obstrunctiones accident. Nam quoque fit, quod supra innuimus, peruvianum nimisum Corticem, non modo obstrunctiones non parere: verum etiam opportunissimum esse, dummodo confessim adhibetur, ad eas præcavendas (72).

XCIII.

(72) Quoniam obstructionum genuinæ causæ determinatae sunt, quod ad earum curationem maximopere conferre experti sumus, hic arrepta occasione indigitate non negligemus. Diuturnæ abdominis frictiones, corporis exercitatio, & aqua nostra lucullana sulphurea dicta, quæ reliquis acidulis præstat, recentes post Febres relictas viscerum obstrunctiones facilissime referant. Per frictiones nimisum abdominis, corporisque exercitium, equitatione præsertim institutum, sanguis a visceribus imi ventris ad hepar veniens, manu, vel musculis abdominis agitatus & percussus majori impetu adigitur in ramos venæ portarum, ubi frequentius obstrunctiones constellantur, majorique vi per hepatis vasa movetur, obstrunctionesque diffat. Accedit his quod per corporis exercitium cor celerius oscillat, motusque vehementior in arteriis excitatur: cum autem arteria hepatica per Gliffordii capsulam jecus in-

XCHII Ad alterum vero quod spectat, suspectus scilicet apud quosdam Corticis usus habetur eo nomine, quod Febres eo remedio suffocatae reviviscant, præsertim quia si ne ulla sensibili evacuatione, Febres extinguit. Reponimus primo posteriori difficultati. Cum enim abunde ostensum sit morbi causam, non in sanguine contineri, sed aliunde ipsi accedere, a Bile nimirum; cumque Bilia vitium per pulverem febrifugum vel emendatur, & ad naturalem crasim redigitur, vel ejus ad sanguinem ingressus, intercipitur; mirum non sit, si nulla succedente sensibili evacuatione Febris penitus cefset. Sed non omnino verum est Febres a China china subactas, nulla interveniente sensibili evacuatione, evanescere. Nam semper urinæ profluvium, vel sudorem copiosum ceteraque præterea secretiones, excretionesque ad naturæ modum & ordinem, per medici hujuscē auxiliī usum redactas observavi. Per hujusmodi evacuationes quidquid morbosum in sanguine ex Bile admixta evaserat, extra corpus eliminatur. Eaque propter quoties post Corticis peruviani usum hujusmodi evacuationes contingunt, de fausto morbi exitu non amplius dubitandum.

Ingredientur, suisque propaginibus venæ portæ ramos sequatur, systole atque diastole sua lentum sanguinis motum in his adjuvat, promovetque. Ac propterea cuncta remedia, quæ idem præstare, quod modo dicuntur, valent, obstructiones hepatis dissipabunt.

XCIV. Quamquam aliquando accidat , ut ex præcoci antifebrilis remedii opera Febris , quæ devicta credebatur , revertatur ; non modo tamen Antifebrili remedio , sed etiam solis naturæ viribus quandoque subacta Febris reviviscere solet . Verum enim vero Febris , quæ Cortice peruviano conculcata reviviscit nunquam ferocior , periculosiorque priori Febri observatur ; quin & Febris noviter orta remedio eodem iterum adhibito , & secundum artis regulas continuato facile dissipatur . Porro satis explorata & vulgaris res est , Febris redditum præcaveri , primo si a purgantibus remediis , (73) ea subacta , abstineamus ; deinde imperata ægroto sex rerum nonnaturallium utendi regula , ac denique Corticis antifebrilis usū , dosi licet refracta , ad hebdomadam saltem unam vel alteram protracto . Si vero fiat ut his omnibus adhibitis , nihil secius æger saepe in Febrim relabatur , iteratus emeticorum (74) usus ante & inter

Cor-

(73) Experientia corpertum est a purgante remedio , Febrim Cortice extinctam reviviscere ; quod evenit vel quia exhibitus cortex , usu cathartici e visceribus extruditur ; vel fortasse quia choledochum dum purgans proritando Bilis cysticæ proventum copiosorem , quam par sit ad intestina concitat .

(74) Egrum quendam intra anni fere spatium quinque in Febrim continuam remittentem , Cortice semper devictam , relabi observavi ; & quod potissimum adnotatione dignum , sub quolibet primo Febris ortu Bilem vitellinam vomitu ac secessu sponte sati copiosam reddidit : qua de re cystidem magna Bilis copia

Corticis febrifugi exhibitionem minime negligendus : iis namque magna corruptæ Bilis ex cystide copia expellitur ; adeoque febrilis integer fomes foras amandatur .

XCV. Huc usque Corticis peruviani operandi modus , Febres quibus convenit ; tempus exhibitioni opportunum ; & ratio qua Febrium recursui idest recidivæ occurrentum , exposita sunt ; operæ pretium modo est expondere qua forma id remedium præstet propinare . Plures sane in Officinis prostant hujuscemodi remedii præparationes . Primo pulvis tenuissimus vel ex toto Cortice , vel ex ejus parte exteriori comparatur , atque in vino olim , nunc etiam in aqua , sero lactis , aliisque vehiculo , pro re nata exhibetur . Paratur item ex Cortice Chinæ Magisterium , Extratum , Sal essentiale , ac denique decoctum . Jure igitur sciscitabitur quispiam , sint ne hujusmodi præparationes ipso simplici pulvere efficaciores ? Antequam propositæ quæstioni fiat satis , exponendæ paucis eas parandi methodi . Ex infusione contusi Corticis in aqua communi , Sal essentiale nominatum obtinetur sola lenta evaporatione . Ex infusione vero in spiritu vini Magisterium resinosum comparatur . Vini etenim spiritu utpote oleoso

pia refertam esse conjeci ; eandemque omni ope effundendam censui ; quod iteratis vomitoriis præstiti ; nec amplius febris rediit cum iam anni quindecim elapsi sint . Hic ut obiter moneam , si quando quartanæ Febres ceterorum medicaminum ipsiusque chininchæ vim elaserint , nonnisi repetitis emeticis subiguntur .

97

leoso , resinosa ejus Corticis pars ; aqua
vero pars salina extrahitur . Chinæchinæ ex-
tractum habetur si cortex contusus triduo in
vino albo ad arenæ calorem detinetur ; fa-
ctaque deinceps expressione , fiat liquoris eva-
poratio lento igne , donec mellis consisten-
tiam nanciscatur . Salem essentiale mero
pulvere in debellandis Febribus nonnulli ef-
ficaciorem opinantur , eo forsan ducti argu-
mento quod ex quaque Corticis libra uncia
circiter salis eliciatur : vel quod Sal essentiale
nuncupatur , quasi essentiam , integrumque an-
tifebrilem vim contineret . Ita certe credi-
dit Marchio Sacramosa Eques Ordinis Meli-
tensis , qui eum Salem a Chinæ cortice eli-
ciendi modum Joanni Baptista Capello indi-
cavit . Alii Corticis ligneam ut ajunt sub-
stantiam , nescio qua ratione formidantes ,
posthabito pulvere , Extractum , vel Magiste-
rium fidentius usurpant ; atque multo minori
dosi , quam pulveris requiritur , Febres extin-
guere sperant . Clariss . Hoffan . (75) & cum
eo sagaciores tota sua substantia id medica-
men Febres abigere autemant : atque pulve-
rem ipsius Corticis cuicunque ejus præpara-
tioni anteponunt . Laud . auctor ex analysi
Chinchinæ omnia ejus principia , scilicet a-
marum , adstringens , balsamicum & terrestre
de vi antifebrili participare concludit ; eos
G que

(75) Tom . VI . de Rect . Cortic . Chinæ uso &c .
§ . 23 .

que propterea errare ait, qui a sola adstringente facultate febrifugam vim repetunt. At si in re tanti momenti, experientiae potius rectiusque, quam Chymicorum phantasie inhærendum, fatis superque exploratum habemus, merum pulverem Febres quascumque essentiales debellare. Reliqua hujus Corticis præparata Magisterium nempe, Extractum, & Sal essentiale licet pretiosiora non tamen præstantiora deprehenduntur. Nec unquam damnum ullum ex Cortice in substantia, ut dicitur, exhibito sequutum, aut nos observavimus, aut alii memorie tradiderunt. Matronam nosco quæ triginta ab hinc annis pulverem Chinæ Chinæ fere quotidie assument; nec unquam sibi nocuisse fatetur.

XCVI. Negandum vero non est in illis, Sale scilicet, Magisterio, Extracto Chininae vim aliquam febrifugam inesse; immo pro re nata in usum quandoque revocanda, ut suo loco dicetur. Verum quoties usurpanda multo majori dosi, cum minus efficacia sint quam vulgo creditur, propinanda, ut finem optatum assequamur. Etenim post binas ternasve optimi Corticis uncias justo regimine propinatas semper Febrim perniciosa, vel penitus extinctam, vel saltem valde refra-ctam observavi: cum vicissim, salis essentialis opera non obstante, alios mortuos, alios vero non sine difficultate sanitati redditos; immo senex quidam nonnisi post quam

un-

uncias undeviginti Salis essentialis hausisset, a Febri tandem immunis evasit. Demum Sal essentialie cum olim Bili admiscuerim, insolatum semper in fundo cyathi mansit; cum vicissim Chinchinæ pulvis secundum Torti & mea tentamina, facillime a Bile absorbetur. Bilis igitur vitium facilius a pulvere, quam Sale Corticis emendari censendum.

XCVII. De Chinæ Chinæ decocto, non fecus ac de supra recensitis præparationibus, dictum puta. Per decoctionem forsitan multa pars volatilis dissipatur; & præter salinum principium, mucilaginosum quid in ipsa etiam aqua remanet. Decoctum itaque debile antifebrile est perinde ac Sal essentialie in aqua solutum, a quo parum differre videtur. Non equidem debilia isthac experirer, neglecto pulvere Corticis, cum Febris mortem minatur. Occasio enim semper præceps, & experimentum periculosum, ut cum Hippocrate loquar. Refert Franciscus Tortus (76) se effeto & reliquo Cortice, qui post decoctiones remanet, plures pauperes febientes ad sanitatem perduxisse. Forsitan cortex, a quo Sal essentialie detractum est, Febres etiam extinguere valet; tale remedium in pauperibus & infirmæ fortis hominibus me adhibuisse minime pœnituit.

XCVIII. Ex hactenus dictis clare patet, omnino fere inutilem esse Corticis peruviani

G 2

ufsum

(76) Tract. de Febr.

usum per clysmata injecti , sive sub forma decocti , sive etiam pulveris aquæ immixti . Nunquam Februm causa hoc modo attingitur . Hæc , quæ in medium protulimus satis experientia comprobata sunt . Falso itaque credunt nonnulli ipso pulvere præstantiores præparationes reliquas , eo præcipue nomine ab ipsis commendatas , quod facilius digerantur : non enim id remedium digerendum , neque ad sanguinem traducendum , ut Febrim extinguat .

XCIX. Præstat nunc metodus describere , qua fere semper in Febribus essentialibus curandis eo remedio , prospero cum eventu , in adultis hominibus utor . Quo gravior Febris , & vehementioribus stipata symptomatibus , eo copiosiorem dosim hauriendam curo . Maxima dosis nycthemeri spatio vix unciam unam & semis excedit . Dosis vero pro singulis haustibus maxima drachmarum binarum & semis , minima drachmæ unius vel dimidiae . Primum inter & alterum haustum horas duo , vel tres , aut etiam quatuor , pro morbi exigentia , intercedunt . Pulvorem integrum corticis , aut ejus rasuræ , in aqua vel fero lactis sumendum præscribere solitus sum , nunquam vero forma pilulari ; cum saepe pilulas fere insolutas , & argentea bractea adhuc obvolutas ab ægris per alvum dejici observaverim . Sane pulveris forma Cortex ingestus , facilius , promptiusque per ventriculi , pylori ,
duo .

duodenii reliquorum denique ~~corporis~~ ~~corporum~~ tenuum cavitatem dispersus Bilis corrigit. Febri tandem imminuta vel penitus absita, ejus medicamenti usum ad unam, vel ~~duam~~ ram hebdomadam, & amplius, sensim diminuta dosi protrahendum commando. Quandisque singulis pulveris Chinæ unciis, vel salis nitri depurati, vel Florum salis ammoniaci drachmam unam, cum nimis inflammatoriis affectionibus obviam ire contendo, vel quoties sudoris evacuationem promovendam existimo, atque in Tertianis diuturnis, atque Quartanis mercurii dulcis grana aliquot addere non prætermitto. Fere semper feri lactis, vel decocti malvae, aut chamæmeli, vel aquæ communis egelidæ vel frigidæ assiduum usum cum Antifebrili remedio præscribo.

C. Medicamenta omnia, quæ pulverem Antifebrilem, irretire, ejusque vim infringere apta videntur, cujusmodi Oleum dulce vel olivarum, siripi, oxymel &c. omnino prescribo. Nonnulli verentes ne Chinchinæ pulvis in corpore remanens noxius evadat solutiva quedam remedia quoque ei pulveri adjiciunt, velut sunt magnesia nitri, antacidum Britannicum, sal polychrestum similia. Quod licet improbare non ausim; moneo tamen iis remediis minime abutendum. Neque timor ullus nos teneat, ex immodata ejus pulveris copia, vel usus diuturnitate, incommodum aliquod hoc remedium esse allaturum, quod

casus innocens . Apposite ad rem nostram
 Cl. Mortonus (77) . *Cortex peruvianus* , in-
 quis , consensu medicorum hodie omnium ,
 est castabolicum febrifugum , quod omnes Fe-
 bres intermittere , (quin & continuas)
 in quovis anni tempore , penitus , raro ,
 cito , & feliciter sanat . Adde his in
 omni sexu , etate , virginibus , gravidis , puer-
 peris tutissime , & prorsus innocie exhiberi
Cortex potest . Præterea addit laud . auctor
 se intra annorum viginti quinque spatium
 nusquam novisse aliquid mali ab usu Corticis
 evenisse ; nec se unquam hujus remedii
 paenituisse . Qua de re Chinchina anti-
 doto febrilis , arbor vitæ , remedium plane
 divinum a Divina beneficentia nobis conces-
 sum a Medicinæ scriptoribus passim nuncu-
 patur . Quæ cum ita sint , quis non videt ri-
 fu excipiendos esse medicos illos , qui id re-
 medium aliis quibusdam decantatis adjiciunt ,
 ut illi meritam palmam præripiant .

Cl. Antequam eorum querelis , qui mini-
 me tam felix faustumque hoc remedium se
 expertos fuisse ajunt respondeamus , e re vi-
 sum est casus indigitare , in quibus pulvere
Corticis posthabito ad varias ejus præparatio-
 nes contigiendum sit . Fit enim aliquando
 ut pulvere uti nequeamus , cum scitacut puc-
 ruli , vel delicatæ mulieres , &c ii omnes
 qui stomacho nimis sensili prædicti sunt , qui-
 que remedia facile evomunt ; aut denique ob-

fau.

(77) Tract. de Febr.

faucium affectiones pulveratum Corticem deglutire non sic facile valeant; in his, inquam, similibusque casibus, quin & in Febribus levioris momenti, Sal essentiale, vel decoctum, magisterium vel extractum Corticis licet experiri. Forte fortuna remedium detegere datum fuit, quod facillime a quovis deglutiri potest, nullo sapore, aut odore injuncto præditum, efficacissime quoque essentiales Febres extinguere idoneum, de quo justam dissertationem, Superis bene faventibus, alias dabimus.

CH. At qui sit ut peruviano Cortice rite recteque in Febribus essentialibus propinato, ægros interim diem obiisse extremum quidam Medici fateantur? Siquidem quamplures Medentes durante Constitutione an. 1775. Chinchinæ facultatem summis laudibus extollere, aliquot vicissim vilipendere audivimus. Referebat sane tunc temporis mihi cuiusdam Nosocomii medicus, ceteroquin non indoctus, Cortice peruviano dosi convenienti licet exhibito, ægros tamen interire: ipsi equidem significavi id accidere propterea quia infimæ fortis ægri, medicis auxiliis destituti sero nimis ad Nosocomium accedant, & morbo jam adulto, læsionibusque viscerum jam confirmatis, quam ob rem non sic facile eos mortem effugere. Nam id medicamentum, ut saepe monitum est, Febrim abigere, & organorum corporis affectiones nehant, vel factæ ne augeantur præcavere po-

tis est: at cum viscera pessum iverint, ad statum sanum redigere non valet; testatusque sum ei nullos ferme ægrós tempestive (nunquam ultra quartam Febris diem ad id remedium confugi) & opportuna methodo ac forma Cortice peruviano hausto periisse.

CIII. Multiplici autem de causa evenit ut fere nullam præstantissimi febrifugi hujs operam nonnulli experiantur. Prima & ferme potissima, quia non omnes quam cito opus fit, eo remedio forma, & methodo propria utuntur. Altera causa est quoniam plurima alia remedia ægris sumenda præcipiuntur, dum Cortex in usu est; quæ sane Chinchine pulvrem non modo irretiunt, vimque ejus infringunt, ne dicam de mausea, quam ægrotis carent. Corticis saltem adhibendi tempus adimere solent. Tertia si Cortice vetustate jam effeto, vel parca nimis dosi, & Bili corrigendæ impari, vel etiam a pharmacopola adulterato utuntur. Denique ut cætera accidentia præteream, sit nonnunquam ut æger ex præjudicata opinione, vel ex aliorum medicorum, aut amicorum, vel etiam mulierularum objectis terriculamentis perterritus, præscripto remedio uti neglexerit; assidenti tamen medico remedium hauisse fateatur; inutilem & fortasse noxiā tunc Medicus ejus remedii operam, ex falsa ægri assertione judicabit. Huc spectat quod scriptum testatumque reliquit Divinus Senex (78),

(78). Non quis cognoscere potest ea, quædamno fuerunt, quam ea, quæ opem tulerunt in testimonium arti, quod ars ipsa sit. Quæ enim profuerunt ob rectum usum profuerunt; quæ vero nocuerunt, ob id, quod non recte usurpata sunt nocuerunt.

CIV. Pro coronide hujus lucubrationis alios morbos indigitare non abs re erit, in quibus id remedium prodeesse observatum est. Quod paucis efficiam. Nonnulli Corticem peruvianum periodicis quibusque morbis, quin & non periodicis aliquando quoque profuisse perhibent. Vallisnerius ad Cardialgiam periodicam; ad affectus hystericos cum spasmis Th. Sydenh.; ad Epilepsiam Tozzius, & Meadius; ad Ophthalmiam periodicam Pacchonus valere autumant. In affectionibus frigidis & diuturnis conferre censet Sebastianus Badus, affertque auctoritatem Hieronymi S. Sophiæ, qui in catarrhis & rheumatismis id remedium prædicat: ad affectiones quoque hypochondriacas opem ferre affirmat laud. Badus ex auctoritate Nicolai Susannæ, & Christophori Paravicini. Adversus hæmoptoēn Mortonus celebrat. Relatum est in Actis medic. Edimburgen. Tōm. 2. 3. 4. Corticem peruvianum in gangrænis, & Sphacelis a Medicis, atque Chirurgis peritis adhibitum mira præstitisse. Quamquam Franciscus Tortus problemate proposito, atque expenso, an scilicet id remedium conveniat aliis morbis &

[78] Lib. de Arte §. 6,

& præsertim periodicis, præter Febres, haud facile prodesse sibi persuadeat: pace tamen tanti Viri, plerumque non solum enumeratis morbis, sed & aliis, quin & ad prophilaxin maximopere prodesse affirmamus. Nam cum plerumque modo enumerati morbi a vitio Bilis pendeant, & excitari possint, nil mirum si prodesse afferimus egregium id remedium; quin & cum profuisse tot eximii Viri affirmant, quibus certe non deneganda fides, a prænotata causa eos morbos progenitos fuisse cendum. Ex dictis pronum est inferre non modo recensitis affectionibus, sed etiam arthritidi, & doloribus periodicis, Asthamati convulsivo, Cardialgiæ, Choleræ, Diarrhœæ, Dysenteriæ, Hæmorrhagiis, Hæmoptysi, Phthisi incipienti, Pleuritidi, Erysipelati &c. Peruvianum corticem summo-pere prodesse, ut sæpe sæpius experti sumus. Conferre tandem non dubitamus ad prophilaxim grassantibus morbis epidemicis, vel per loca aere infecto prædita iter facientibus, & iis omnibus, qui Biliosis morbis obnoxii vivunt.

SCHE-

S C H E D I A S M A

*De justo Vesicantium usu in Febribus
essentialibus, nonnullisque
aliis morbis.*

I. **D**E Vesicantium, eorumque præsertim, quæ cantharidas recipiunt, commo-
dis atque incommodis diu multum-
que olim est inter Galenicos & Helmontianos
disputatum. Ingentes porro ea questio tur-
bas inter Alexandrum Massariam & Hercu-
lem Saxoniam anno 1590. excitavit. Ac ve-
teres illi quidem partium studio, hi vero
ambitione & contentionis æstu abducti lon-
gius fortasse progressi sunt, quam ratio po-
stulabat. At enim cum Saxonie opinio præ-
valuisset: exinde porro factum est, ut & in-
ter Vesicantia cantharides principem locum
haberent, & Vesicantium istiusmodi usus in
dies magis, atque magis increbesceret. Eo-
que tandem res devenit, ut nunc quidem
temporis pene nullus sit morbus sive chroni-
cus, sive acutus, nullusque cujusvis ætatis ac
temperamenti æger cui curando ab Vesican-
tibus auxilium non querant Medici nostra-
tes: in id nempe unum omnes amice con-
spirantes, tametsi in ceteris etiam, atque e-
tiam inter se dissentiant. Multo mane advo-
catus Medicus bina ægroto Vesicantia admo-
ve-

veri iufferit : en tibi sub vesperam , si Medicus alter accēsesfit , bīna insuper alia præscribentur : nullo interim adhibito examine num quidnam levaminis sive ex iam appositis sive ex mox apponendis habiturus sit æger ; quin immo si post tot admota Vesicantia novis , vel gravioribus symptomatibus ingruentibus in pejus ruere omnia obseruentur ; indomita morbi vis potius , quam perversus Vesicantium usus culpabitur . Videlicet nunquam non utile & salutare id medicamenti genus reputatur : tantum abest ut de ejus incommoditatibus vel levissime Medici suspicentur .

¶ II. Neque vero Medici desunt , qui Vesicantium & cantharidum vim in morbis tantum non omnibus salutarem ratione comprobare satagunt . Utinam experientiam sibi consentientem ratio haberet ! Atqui immoderatum Vesicantium usum aperte redarguit infelix ægrotantium exitus . Quod unum satis monere clinicos posset , si modo mens illa non læva foret , ut cautius certe nec nisi æ gri morbique natura ante perspecta , aneps Vesicantium negotium posthac aggrediantur .

III. Hæc autem , quæ hactenus dicta sunt , nolim ita accipiantur quasi is ego sim , qui Vesicantia & cantharidas e medicina omnino exulare jubeam . De Vesicantibus enim idem prorsus sentiendum censeo , quod de ceteris quibusque medicamentis docent omnes ad unum Medici : videlicet esse ubi ea prodesse plurimum possint ; & viceversa ubi noceant quam

quam maxime. Quamobrem ea haud temere, nec indiscriminatim adhiberi debent. Plures profecto sunt morborum species, quibus Vesicantia rite & tempestive adhibita plurimam præstare opem valeant. Ita Ischias unis Vesicantibus dolenti parti applicitis frequentissime curatur; ut perspecte notarunt cum alii multi, tum maxime Vepferus (1) & ingeniostissimus noster Cotunnius (2). Præterea magno usui sunt Vesicantia in febribus malignis coagulantibus, quæ exilissimo pulsu extremitatibus frigidis, anxietate, ad soporem propensione, aliisque crassitiei & viscositatis indiciis stipantur; præsertim si ægri habitus pinguior sit, & temperamentum phlegmaticum. Item in Apoplexia lenta, & serosa maxime quæ in senibus ab externo frigore oritur; in convulsionibus sine febre; in oculorum & faciei affectionibus, venæ tamen sectione præmissa; in tinnitu aurium; in surditate recenti; in podagra, aliis cutaneis affectionibus retropulsis; in variolis & morbillis modo prodeuntibus modo relabentibus; in affectionibus quibuscumque soporiferis; in Catharris ex viscida materia oriundis, & qui irruptionem in pulmones, aliumve corporis locum, in oculos, in nares, in fauces minantur; in doloribus fixis & partem quampiam acriter lancingantibus, similibusque.

IV.

- (1) In Epistol. ad Lentilium Mischl. Medicæ pract.
- (2) In opusculo de Ischiade nervosa.

IV. M. Aurelius Severinus (3) Vescantiam sumpsum maxime commendat in cephalalgia idiopathica & pertinacissima : Idque experitus sum in muliere quadam , quae de vehementissimo dolore ad os parietale sinistrum querebatur : variis remediis in cassum tentatis, apposito tandem dolenti parti Vesicatorio ; dolor, qui diebus quindecim continuis ægram vexaverat , continuo evanuit . Similiter cervici apposito Vesicatorio alteram porro mulierem a diurno atque molestissimo aurium dolore liberavi . Utraque vero mulier febre vacabat ; quod quidem sedulo notandum.

V. Denique egregium Epilepticis adjumentum afferre Vescantia (4) tradiderant Felix Platerus (5); Henricus ab Hee (6); Videlius [7]; Willistus [8]; Alii ; quod non semel experientia verum apprehendi . Quadrinoris filius Marchionis Cicerale singulis fere diebus ab Epilepticis insultibus corripiebatur . Principio Vesicatorium brachio appositum est ; insultusque rariores facti . Verum sex mensibus elapsis , licet ulcus adhuc ada-

[3] Pyrotech. Chirurg. lib. II. cap. 8.

(4) Conferunt Vescantia epilepticis ; præsertim iis, quibus a Tinea, Variolis, Morbillis male curatis , vel Crusta lactea , acoribusque retrouplisis , similibusque causis morbus natus est .

(5) Prax. lib. I. cap. 2.

(6) Observat. 20.

(7) Amoenitat. mater. medic. lib. I. sect. II. cap. 6.

(8) De morb. convulsiv. cap. 4.

adapertum servaretur, saevior tamen morbus rediit. Parentibus suasi, ut alterum occipitio Vesicatorium imponeretur: adhibitum est emplastrum de Thapsia; mansitque ulcus ad sex integros menses: quo tempore ab epilepsia omnino puer immunis vixit. Verum ulcerare dein sanescente neglectisque ceteris praesidiis, continuo epilepticæ convulsiones prodierunt. Quamobrem denuo Vesicatorium occipitio admotum est; ulcusque integri anni spatio continuatum: decimus jam excurrit annus, quo puer sanus vivit. Triennem puerum cujusdam Jurisconsulti Epilepsia pariter laborantem; Vesicatorio ad occipitum adhibito sanitati reddidi. Quæ autem hic persequi placuit ut me a Vesicantium, & cantharidum usu neutquam abhorrere significarem: & simul quibus potissimum in morbis praesens ab illis auxilium querere nobis licet.

VI. Verum ut facili negotio quisque di-
gnoscere possit quibus morbis Vesicantia pro-
ficia, vel infesta sint, eorum compositionem
& vires præ oculis habeat necesse est. Tripli-
cem profecto eorum vim considerare solent
Medici 1. (9) nimirum stimulantem; 2. e-

va-

(9) *Cantharides inter mera venena referri meren-
tar. Dioscorides notavit cantharides interius sumptas
renes & vesicam exulcerare, mictionem cruentam,
pruritusque in pudendis ciere. Galen. lib. IV. cap. 18.
de simplic. medicam. facult. monet ne quis eas degu-
stare audeat. Avicenna lib. II. tract. 2. de Virtutib.
Ma-*

vacuantem (10); 3. vim fali cantharidum sanguini seſe immiſcentis: de quibus fuſiores

me.

Medicam. singularium cap. 206. iſpis acrem, putrefactivam & adurentem inesse facultatem ostendit. Ad hæc tenue admodum subtile & maxime penetrantis indolis est id, quod in cantharidibus delitescit elementum, ut prompte corporis penetralia subeat; gravia que excitet pathemata; mictum sane cruentum, cum vesicæ exulceratione, febres, dolores, convulsiones, urinæ ardore, & aliquando gangrenas, quæ omnia producere cantharides passim suis observationibus Medicinæ scriptores memoriz tradiderunt. Proprijs quippe est hic agendi modus plurimis venenis, tenuissimis scilicet particulis & penetrantissimis nerveas partes aggredi, & per spasticas stricturas humorum congeſtions, spacieſtiones & mortem inferrere.

(10) Ceſteat nonnulli ab exitu humorum Vesicantium ope procurato ſumptuam utilitatem in febriq; acutarum curatione pendere. Hic autem tantisper immorandum. Si humor fluat ex factis ulceribus pro bono omine habetur: malum contra augurium hujusmodi ulcera portendere censentur, cum albida, vel livescientia ſunt, nihilque humoris fundunt. Num talis humorum fluxus in acutis febris proficups sit dubia ſane res eſt. Neque juvat afferere, quod rebus ita ſe habentibus, ægri plerumque conyalescant: id enim indicium eſt, naturæ vires ſatis validas eſſe, humoresque concoquere & attenuare, circumductiōnem, ac proinde humorum exitū promovere. Etenim primis morbi diebus cruda existente morboſa materie, hoc eſt vigente humorum crassitie ac ſpiffitudine, ſolidorumque ſpasticæ vi, vesicatoriorum ulcera nil fundunt: copiosus vicifim fit humoris exitus, morbo ad statum accedente, modo morbus ſalutaris ſit: nil contra reddunt Vesicatoria in morbo lethali; Ulcera itaque Vesicantium liquorem dant ſi naturæ viſ morbam ſuperat; ſicca manent ſi natura imbecillis: adeoque

can-

medicorum institutiones consulendae . Illud vero pro re nostra adnotare placet [quod apud omnes in comperto est] volatilem nimirum acrem , causticum , venenatum Cantharidum salem stimulo , & sua in sanguinem immissione febrim accendere ; accensam augere ; oscillatorium fibrarum motum promovendo circulationis impetum vehementiorem efficere ; acriores denique humores reddere . Quid igitur Vesicantibus importunius excitari potest in Febre acuta a degenerata bilis acrimonia exorta , quæ solida & sanguinem afficiat ? Stimulo stimulus , bilis acrimoniae cantharidum sal acre , immo acerrimum additur ; quo profecto fit , ut calor , delirium , convulsivi motus , & alia hujuscce febris symptomata magis magisque invalescant . Constat medicorum (11) effatum , experientia satis confirmatum in epidemicis febribus , praesertim ubi macilentum sit corpus , & acutioris sensus , æger levissima de causa animo moveatur , & morbus in paroxysmo sit constitutus [12] nihil importunius Vesicantibus , iisque perniciosus nihil . Jure itaque me-

H

ri-

tanquam signa salutaria , vel lethalia in hujusmodi febribus potius habenda , quam remediorum juvantium loco ; humorum quippe tenacitatem , vel fluxilitatem ; circuitum facilem vel difficilem designare tantum possunt .

(11) Vide sis Tissot de Febr. bilios. lauson. pag. 62 & 63 edit. Neapol.

(12) Olim sane ægro jam jam ad interitum properante Vesicantia adhibebantur ; nunc vero statim æ-
fe-

rito omnes ad *tumulum* (13), ita quod Bo^rrellus, *brachiis pedibus*, & aliis partibus *enulceratis* deferuntur. His rationum momentis motus Clarissimus Tiffot, mutato consilio, & missis cantharidibus confudit ad epispastica ex fermento panificio, aceto acer-rimo, & largiori seminum sinapeos dosi, que suris vel saepius plantis pedum applicari curabat. Evidem Vesicatoriae naturae plura innotuerunt remedia, ut Euphorbium, ranunculus, flammula iovis, succus esculæ, laureola &c. Ex his tutiora eomparari possunt Vesicantia, cum iis opus sit. Nam in acuta febri istiusmodi etiam, eo quod irritent & palefaciant suspecta sunt habenda.

VII. Silentio præterire sine piaculo non possum in Epidemica Febre Neapolitana anni 1764. cuius bilis vitium princeps causa fuit, Vesicantia importuna & noxia ægris (14) cordatiores Medicos animadvertisse. Testem luculentissimum appello Cl. Equitem & Medicum Aulicum Joannem Viventium (15), qui refert post excretionem vermium, corruptaque bilis, ægros ab anxietate, nausea, capitis dolore, febrisque impetu levamen su-

sce
febris, quæcumque ea sit, & in quacumque ægri tempeste accendatur continuo Vesicantia præscribuntur. Male vetusti Medici se gerebant; recentiores isti pes-
lime.

(13) Epistol. ad Malpighium.

(14) Vide Freind. comment. 9. de Febr. pag. 89.

(15) In Elegantissima Epistola De Epidem. Neapol. ann. 1764 ad Gherardum van s' Wieten adject. (omnem) de Cicta edit. 3. Neap. an. 1774.

seipso: contra vero detrimentum ab oleofis,
sanguinis detractione, & Vesicatoriis; Quod
vero, inquit, summopere nocere observavi-
mus, fuerunt Vesicantia, quibus convulsi-
ones augebantur; ut plurimum horum appli-
catione, nigrescebant petechiae. Et gangre-
na afficiebantur partes, quibus apposita fue-
runt.

VIII. Quæ cum ita sint ecquis Vesicant-
tium usum probabit in bilioſo (16) tempera-
mento, inque febri a bilis vitio genita, præ-
fertim inflammatoriis ſtasibus copulata? Ex-
tra omnem dubitationis aleam positum est in-
flammationes non in ſola humorum stagna-
tionē conſistere [cum stagnet ſerum & lym-
pha in hydropicis citra inflammationem] ſed
in materia acri pungente & irritante, ut ex
dolore potiſſimum, ardorisque ſenu in par-
te inflammatione detenta colligitur. Cum i-
gitur certiſſimum etiam apud omnes ſit ex-
cantharidibus ſalem acrem, & cauſticum ad
ſanguinem dévehi, ſi ſibi conſtare velint Me-
dici in acutis febribus Vesicantia exulare jubeant.
Etenim corporis vasculis ob bilis acrimoniam,
irritatis jam, atque contractis, coarctatisque;
ſanguini ſpiffiori, atque acriori reddito, ſi
novus ſtimulus, novaque acrimonia addatur,
quis non videt augendam potius inflamma-

H 2 tio-

(16) Quotidie experimur in iis, qui gracili corporiſ habitu, calido ſiccoque temperamento prædicti ſunt
Vesicantia miectum ſanguineum, Dysuriam, Iſchuriā, & Veſicæ inflammationem excitare; præterea cerebrum, nerveasque partes utpote delicatioris, tenuiorisque ſtruc-
turæ infestare,

tionem, quam solvendam esse ab hujusmodi remedii appositione. Hoc quippe sal sanguinis lymphæ, sanguinique ipsi admixtum, cum ad pulmones primum, ex circulationis legibus cum sanguine deferatur, eos pungere, crispare, & irritare necessario (17) debet, licet non tanta vi, quanta Cerebrum ac Vesicam, quoniam Cerebrum lympha tenuissima perfunditur, in qua cantharidum sales contenti, & ob organi structuram proprius agunt; multoque sensibilior eorum actio evadit. Attamen in pulmonibus vim aliqualem exerunt, praesertim in exilissimis ejus vasculis; quos si jam inflammatione affectos inveniant, phlogosimi necessario augebunt. Accedit his potissima ratio; nimirum dum sitim, linguæ ariditatem epispaistica excitant, febrimque augent; inflammationem quoque adaugere credendum est. Nihil molestius tuli quam discordantiam inter theoriam & praxim: Helmontianorum doctrina de internis, externisque calefacientibus, & discutientibus in inflammatione adhibendis penitus e scholis ablegata jam est; Verum modo inflammatis partibus Vesicantia admoveare non verentur. Nonne hæc quammaxime calefacientia? Johannes Pringlius (18) de Pleurite agens magnum vesicatorium parti affectæ adhibendum præcipit: statim vero monet, quod si alio loco apponatur posse stimulo suo morbum

(17) Hæmoptysi Vesicantia semper nocuisse animadverti.

(18) Part. III. cap. 2. §. 4.

bum exacerbare. Cujus effati eam rationem affert, nimirum vesicatorio lateri affecto apposito dissipari obstructionem, & febrim discuti. Hæc Experientissimi ceteroquin Viri doctrina, quam inconsulto vulgares Practici exceperunt, paulo accuratius expendenda.

IX. Id enim primo ratum compertumque habemus, ipsiusque Pringliae auctoritate confirmatum, Vesicatorium si alio loco, præter partem affectam apponatur stimulo suo noceare posse. At nonne pars externa cutis thoracis diversa est a parte inflammata? Nonne inter cutim & pleuram mediant costas ac musculi intercostales? licet etiam concedatur in pleura sedem semper esse Pleuritidis. Nonne his in partibus diversi arteriarum nervorumque rami? Certe si dum internæ thoracis partes inflammatione afficiuntur, externæ contrectentur, nulla fit doloris exacerbatio: Stimulus itaque loco satis diverso a parte inflammata per Vesicatorium excitatur; atque ex laudati Pringliae documento potest stimulo suo morbum exacerbare. Neque ratiō afferi posse videtur sal cantharidum per vadendo transversim cutim, adiposam membranam, musculos intercostales & costas, affectionem suam exercere in pleuram inflammatione detentam. Quod etiamsi concederetur sal id acre causticum solida inflammata magis irritando tantum abeat, ut phlogisticum sanguinem resolvat, quin potius acriorem reddat, vasorumque crispaturas adangeat. Verum

rum si dicatur per absorbentia lymphatica cutis vascula sanguini cantharidum sal tradi (quod extra dubium est) perinde est sive lateri affecto , sive cuicunque corporis parti Vesicatorum apponatur .

X. Præterea sal hoc cantharidum sanguini traditum , & una cum eo circuitum absolvens , certe cum per vasa phlogistico acri sanguine obstruēta , neque lympha , neque sanguis transcurrat , nulla ejus erit actio resolutoria . Dicit quispiam principem Vesicantium actionem non pendere ab immissione salis , nec ab ejus vi resolvente ; sed a stimulo , nervis & fibræ motrici indito , quo sane oscillatorius vasorum motus promovetur . At oscillatorius vasorum motus jam fatis vehemens est , dum inflammatoria febris adest : quin eum compescere , internis emollientibus sanguinisque detractionibus plerumque in acutis febribus , morbisque inflammatoriis conamur ; itaque dum motum oscillatorium stimulo Vesicantium adaugemus , ceteris remediis mitorem reddere contendimus ? Quo sane nihil absurdius . Sive igitur ob stimulum inditum nervis cutis partis affectæ , qui procul dubio diversi sunt ab iis inflammatæ partis , sive ob stimulum universo nervoso systemati illatum , Vesicantia conferre credatur ; perinde est sive affectæ parti sive reliquis apponantur : adeoque si ex Pringlii sententia alio loco Vesicantium appositio nocere potest ; cur dolenti parti eorum applicatio nocere non possit , immo conferre , non satis assequor .

XI. Quæ cum ita se habeant, inconsulto etiam agunt ii, qui in Peripneumoniis quoque id remedium thoraci applicitum summopere conferre prædicant; propterea quod nonnullos Acuta Febre, pectorisque inflammatione detentos Vesicatorio satis amplio thoraci admoto convalescere observaverint. Quod sane negare non audeo: at ostendant sola Vesicatorii opera id evenisse. Etenim plurimos pluribus Vesicatoriis e contrario ad se pulchrum ire vidi; quin immo plures etiam sine Vesicantibus, similibus omnino morbis affectos evadere observavi sæpiissime. Nonne inelius igitur est, minori, quo fieri potest incommodo ægros curare?

XII. Quum itaque cantharides in nerveas corporis partes agant; & salubris ipsarum effectus non tam ab illa parva lymphæ copia, quam excitata ulcera fundunt, quam potius a stimulo, quo nervum sistema ad excutiendam morbificam materiam commovet, dependeat; in proclivi est intelligere Vesicantia iis morbis conferre, qui ex languore & imbecillitate motus, solidorum scilicet atonia proficiuntur, ubi certe stimulo & incitamento opus est: in corporibus etiam temperamenti phlegmatici, & melancholicæ constitutionis, habitusque spongiosi, & obesi. Contra vero summopere noxia esse ubi corpus acutioris est sensus; ægerque a levissima causa animo movetur; habitus corporis strictior, macilentior; atque dum morbus in paroxysmo & vigore est constitutus. Huc

ap

appime spectat quod scribit Actius, *in segnioribus, ubi carnea moles, utile remedium vesicantia; in calidis autem & siccis corporibus, & affectionibus, his non utor.*

XIII. Nocent pariter in febribus acutis, ubi vigiliæ assiduæ, & deliria adsunt, vel imminent, multo magis si accedant motus iectivati in carpis. Diserte monet Prosper Alpinus (19): *Nunquam, inquit, probare potius in acutis febribus Vesicantium usum quod calorem febrilem augeant, vigilias dolorisque concitent, & deliria inducent, contentionem impediunt, non minus & motui humorum obfint, quam incertus sit locus ad quem, vel per quem crisis sit futura.* Nocent præterea in Apoplexia sanguinea cum pulsu valde intenso. Infesta denique Vesicatoria sunt capite vulneratis cum vomitu; Cerebrique lœsi symptomatibus; convulsiones enim excitant.

XIV. Restat modo ut paucis exponamus quid agendum cum jam in hujusmodi ægritudinibus, in quibus nocere diximus, Vesicatoria apposita deprehenduntur. Noxii eorum effectus nonnihi iisdem fortissimis antidotis venenorum, lacte scilicet, emulsionibus seminum frigidorum, & camphore interno usu obtundi possunt, atque præscindi.

F I N I S.

(19) *De Medicina Methodica*. lib. V.

